



# **De misericordiae et clementiae apud Senecam philosophum usu atque ratione**

<https://hdl.handle.net/1874/321610>

*De Seneca 1935*

DE MISERICORDIAE ET CLEMENTIAE  
APUD SENECAM PHILOSOPHUM  
USU ATQUE RATIONE

G. J. TEN VELDHUYS

BIBLIOTHEEK DER  
RIJKSUNIVERSITEIT  
UTRECHT.







*Diss. Utrecht 1935*

DE MISERICORDIAE ET CLEMENTIAE  
APUD SENECAM PHILOSOPHUM  
USU ATQUE RATIONE

---

SPECIMEN LITTERARIUM,  
QUOD EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI  
H. BOLKESTEIN,  
LITTERARUM HUMANIORUM DOCTORIS ET IN FACULTATE  
PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM  
PROFESSORIS ORDINARIJ,  
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU  
ET NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE  
ET LITTERARUM HUMANIORUM  
DECRETO  
PRO GRADU DOCTORATUS  
SUMMISQUE IN LITTERARUM HUMANIORUM DISCIPLINA  
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
IN ACADEMIA RHENOTRAIECTINA  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS  
FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET  
GERARD JAN TEN VELDHUYS,  
E PAGO STOMPETOREN,  
DIE XI MENSIS IULII  
ANNI MCMXXXV  
HORA XVI

---

J. B. WOLTERS — GRONINGAE, BATAVIAE

BIBLIOTHEEK DER  
RIJKSUNIVERSITEIT  
UTRECHT.

BOEKDRUKKERIJ VAN J. B. WOLTERS

PARENTIBUS FAUTORIBUS

UXORI ADIUTRICI





Nunc, cum ab Academia Groningana in Rheno-traiectinam quasi demigravi, quae utrique debere me scio, revocare in mentem solito magis iuvat. Etenim septentrionalis illa Alma Mater recepit me tironem, aluit, erudivit — centurionatu iam aliquot functum annos eadem benignitate atque amore hospitio me accipit altera haec mediterranea.

Illius, quae prior studia mea fovit, Academiae doctorum nomina virorum grato animo recordor. E quibus vestram, clarissimi van Wageningen et Heymans, memoriam magna pietate colo.

Tibi, clarissime Groeneboom, qui ad alumnum tuum per totum studii spatium advertisti animum, permulta debeo: non solum scholae tuae iterum atque iterum recreabant animum mentemque, verum etiam nobilis tua severitas nec minus clementia tempestiva identidem mihi profuerunt exemploque mihi erunt semper.

Assidui accuratique laboris rationem, clarissime Roos, a te imprimis didicisse me fateor; praeterea et egregia tua doctrina et hospitalitate sincera probare solebas veri sigillum esse simplex.

Ardore tuo, clarissime Enk, iam ante academica studia suscepta litterarum latinarum inieceras mihi admirationem; quam postea tua quoque auctam ope servavisse me persuasum tibi habeas.

Vobis quoque, clarissimi Muller et van Groningen, debitam pro vestris erga me meritis gratiam refero.

In Academiam Rheno-traiectinam transeuntem excipere me voluistis peregrinum, clarissimi Bolkestein, Rector Magnifice, et Vollgraff, Senatus Academici Abactis; cuius benevolentiae vestrae non obliviscar.

Scholas tuas, clarissime van Hoorn, operamque inter alios et mihi navatam saepius sum admiratus.

Inter duas autem Academias quasi vinculum tu mihi fuisti, clarissime Wagenvoort, promotor optime. Atque revera devinxisti semper discipulos tuos, sicut me devinxisti huius disputationis argumentum mihi proponens. Qua in conscribenda meam me iussisti componendi adhibere rationem, cura interea et diligentia summa regens imperitum, impellens dubitantem, retinens praecipitantem. Amplam opinionis defendendae mihi dedisti facultatem, hoc quoque spectata tua iustitia servans aequum. Restant plura, quae verbis haud facile cedant. Utinam cum doctrina tua eximia tum auxilio tuo amico hoc opusculum aliquatenus sit dignum.

Gratias denique agere velim omnibus, qui ad perficiendam hanc dissertationem adjuvarunt.

## CONTINENTUR

	Pag.
PRAEFATIO . . . . .	1
CAPUT I. Quid de misericordia statuerint Stoici veteres . .	7
CAPUT II. Quomodo de misericordia iudicaverint Stoici recen- tiores . . . . .	17
CAPUT III. Misericordiae et clementiae definitiones . . . . .	36
CAPUT IV. Qualis in Senecae operibus misericordiae fiat mentio	58
CAPUT V. Qualis in Senecae operibus clementiae fiat mentio	83
CAPUT VI. Quid contra Stoicos de misericordia censuerint christiani quidam scriptores . . . . .	104



## PRAEFATIO.

Inde ab antiquis temporibus communia fuerunt gentis humanae bona mala, secunda adversa; quae qua ratione distribuuntur singulis hominibus, num iuste, num inique, dubitari potest: de re convenit. Utque certum est bona malaque quae extant omnia quolibet vitae tempore evenire posse mortalibus, sic constat plerosque orbis terrarum incolas adversarum rerum diutius quam secundarum meminisse illarumque dolorem acrius sentire pertinaciusque. Facile e memoria excidunt dulcia atque amoena, etiamsi non per exiguum temporis spatium durarunt — nonnisi lente cicatricem ducunt vulnera, quae intulerunt acerba atque horribilia; et manet cicatrix.

Aliena autem mala eam ob causam diligenter animadvertunt homines et tamquam sua ipsorum accipiunt, quod conspectus illorum quasi renovat dolorem proprium, quem excutere animo paulisper tantum potuerunt. Quin etiam tam viva nonnumquam est proprii mali recordatio, ut alienam videntes calamitatem ipsi maiore fere afficiantur dolore. Huc accedit, quod facile subeat cogitatio nobis quoque ipsis talia evenire posse. Nec tamen hae solae sunt causae, cur aliena mala sentiamus. Dolet ob cladem acceptam consanguineus, amicus, homo denique: contristat nos casus eius, quem amamus, quem diligimus, quem auxilio certe dignum iudicamus. Tunc eadem atque ille patimur: nam in animo nostro amore, amicitia, humanitate illius animo quasi coniuncto, postquam excitata est accepti mali memoria, evocatur variis ille sensibus commixtus affectus, qui per saecula hominum vitae ac factis maximi interdum fuit momenti.

Docebat talia sapientia maiorum: laboriosa et plena timoris est vita undique imminentibus periculis causisque doloris. Miseri atque aegri sunt mortales, prudentis consilii parum capaces. Subveniendum est hominibus. Quid? Videmus quae alii, aequae ac olim nos, pa-

tiuntur, quibus miseri facti sunt. Tantopere nobis cordi sunt eorum mala, ut flebilis sortis nos misereat, ut misera fiat nostri quoque animi condicio; quam condicionem „miseri-cordiam” vocabant Romani, communem generis humani sensum vernaculo vocabulo indicantes.

Sed iam Homeri temporibus Graeci misericordiam (ἔλεον appellat) expectabant, immo postulabant. Apollo, cum iratus Achilli, qui Hectoris corpus ad currum suum alligatum identidem trahit, in consilio deorum segnitiam exprobravit omnibus, illumque cum saevo leone ovilia invadente comparavit perguit ita (Ω 44):

„ὥς Ἀχιλεὺς ἔλεον μὲν ἀπώλεσεν, οὐδέ Φοι αἰδῶς.”

Ferum quoque et omni mansuetudine carentem Cyclopem misericordia commoveri posse primo adventu putavit Ulixes, quare offerens ei alveum illum vini, quamquam maligni iam certus consilii, modestiam simulans spem in itinere conceptam semihomini narrat (ι 349):

„σοὶ δ' αὖ λοιβὴν ἔφερον, εἰ μ' ἐλέησας Φοίκαδε πέμψειας· σὺ δὲ μαίνεαι οὐκέτ' ἀνεκτῶς.”

Quam prorsus insita sit omnibus proposita mentis condicio ibi praesertim apparet, ubi alia omnia odio vel ira impediuntur. Saepe enim nihilominus miserentur ii, quorum animum intrare misericordia nisi contentione summa non potest: quandoquidem quid sit pati, ipsa vita didicerunt sciuntque nos omnes nullis non calamitatibus obnoxios esse, inimicitarum suarum paulisper obliviscuntur et laborantem tantum vident hominem. Ita Ulixes, postquam delirantis Aiakis audiit vocem, interroganti Minervae, num eo, quem nunc furor possidet, magis strenuum quemquam in priore vita viderit, respondet (Soph. *Ai.* 121 sqq.):

„Ἐγὼ μὲν οὐδέν' οἶδ' ἔποικτίρω δέ νιν / δύστηνον ἔμπας, καίπερ ὄντα δυσμενῆ, / ὄθούνεκ' ἀτῆ συγκατέζευκται κακῆ, / οὐδὲν τὸ τούτου μᾶλλον ἢ τοῦμόν ἔκοπῶν · ὄρω γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο πλὴν / εἶδωλ', ὅσοι περ ζῶμεν, ἢ κούφην σκιάν.”

Erga inimicos vero saepe praevalent, quae adversus nos commiserunt, et omnino duae sunt causae, quae persuadeant nobis ne ob alienam calamitatem doleamus: ira et occultum odium. Cum excanduimus ira nulloque adloquio componi potuit illa, cum iniuria diuturna reliquit in nobis fastidium grave et mansurum, tum quicquid alteri isti acciderit, misericordiam nostram haud provocabit: nam humanitatem ad nos non iam admittimus.

Ceterum, licet tantae esse possint inimicitiae odia irae, ut animo miseranti obstent, hoc tranquillo „sunt lacrimae rerum et mentem mortalia tangunt.”<sup>1)</sup>

Contra sunt, qui casus hominum non tali modo in se admittant, qui licet inimicitiis minime commoveantur tamen toleranda esse adversa, quae ipsi toleraverint, putent, quique eam ob causam misericordiam abnuant. Hi semper fere omnium iram excitant: nam exceptis quas supra memoravi causis pauci misericordia non commoventur; quare severi et duri dicuntur, qui tam humanae virtutis dignitatem negare audeant. Rara igitur esse in latinis quoque litteris eius opinionis specimina ne miremur. Sceparnio servus apud Plautum<sup>2)</sup> mangonem quendam indicans: „Venalis, inquit, illic ductitavit, quisquis est: non est misericors;” quibus verbis solitum tractandi servos modum maligne excedere mangonem illum demonstrare, ut apparet, Sceparnio voluit.

Extat vero alius locus Plautinus, quo legimus domum, quae semel venierit, ilico redimi non posse. Ubi emptor, Theopropides senex, cum vicinum quam nuper vendidit domum redhibere velle cognoverit, hanc sententiam enuntiat<sup>3)</sup>: „Sibi quisque ruri metit. Si male emptae || forent, nobis istas redhibere haud liceret. || lucri quicquid est, id domum trahere oportet. || misericordia se abstinere hominem oportet.”

Dubitare hic non licet: abest ira, abest odium; velut periti viri sententiam audire videmur: misericordia abstinendum est, non uni alterive, sed hominibus cunctis. Ceterum Plautum, cuius vitam haud facilem fuisse satis constat, talia scribere potuisse quivis intellegat.

Aliter res se habet apud veteres philosophos, qui ratione metiri

1) Raro, cum veluti mutum animal factus est homo tormentis vexatus, misericordia deficit, velut apud Senecam, *De Ira* III, 17, 4 (ubi Telesphorus Rhodius, mutilatus a Lysimacho, in cavea velut novum aliquod animal monstratus esse dicitur):

„Non minus foeda quam terribilis erat forma eius visentibus, factusque poena sua monstrum misericordiam quoque amiserat. Tamen, cum dissimillimus esset homini, qui illa patiebatur, dissimilior erat qui faciebat.”

Vid. etiam Tac. *Hist.* III, 84 (de Vitellii fuga): „Deformitas exitus misericordiam abstulerat.”

2) *Rud.* 584.

3) *Most.* 802.



solent ea, quae ceteri mortales post fortuitos plerumque casus neque mente integra concludunt.

Dubitaverunt iam Socrates et Plato, num viri boni decus esset misericordia. Penitus quidem eam rem quantum ad universam hominum vitam pertinet, non tractaverunt, sed Plato de tragoedia eiusque vi disserens posteris spernendae misericordiae quasi viam monstravit. In republica, qualem perfectam secum excogitavit Socratis ille discipulus, tragoediarum spectacula vetari oportebit, quod eiusmodi ludicris ii, qui immodice dolori atque luctui indulgeant, tamquam heroes celebrentur. Eorum enim actis effici, ut spectatores suis ipsorum rebus adversis resistere in posterum minus facile possint: *Resp.* 606 A B:

„Τὸ φύσει βέλτιστον ἡμῶν, ἅτε οὐχ ἰκανῶς πεπαιδευμένον λόγῳ οὐδὲ ἔθει, ἀνίησι (ἐν τῷ θεάτρῳ sc.) τὴν φυλακὴν τοῦ θρηνώδους τούτου, ἅτε ἀλλότρια πάθη θεωροῦν.” Et paulo infra „λογίζεσθαι γὰρ, οἶμαι, ὀλίγοις τισὶ μέτεστιν, ὅτι ἀπολαύειν ἀνάγκη ἀπὸ τῶν ἀλλοτρίων εἰς τὰ οἰκεία φρέψαντα γὰρ ἐν ἐκείνοις ἰσχυρὸν τὸ ἔλλεινδὸν οὐ ῥάδιον ἐν τοῖς αὐτοῦ πάθεσι κατέχειν.”

Hoc esse improbable, nam maerere virum bonum minime decere; inutile esse praeterea, nec quicquam ex rebus humanis dignum esse, quod desideretur. *Resp.* 604 B C:

„Λέγει που ὁ νόμος, ὅτι κάλλιστον ὅτι μάλιστα ἡσυχίαν ἄγειν ἐν ταῖς συμφοραῖς καὶ μὴ ἀγανακτεῖν, ὡς οὔτε δήλου ὄντος τοῦ ἀγαθοῦ τε καὶ κακοῦ τῶν τοιούτων, οὔτε εἰς τὸ πρόσθεν οὐδὲν προβαῖνον τῷ χαλεπῶς φέροντι, οὔτε τι τῶν ἀνθρωπίνων ἄξιον ὄν μεγάλης σπουδῆς, ὃ τε δεῖ ἐν αὐτοῖς ὅτι τάχιστα παραγίγνεσθαι ἡμῖν (τὸ βουλευέσθαι sc.), τούτῳ ἐμποδῶν γιγνώμενον τὸ λυπεῖσθαι.”

Sibi sufficiat bonus vir atque ideo aliis sibi opus non esse demonstrat.

*Resp.* 387 D E: „Ἀλλὰ μὴν καὶ τότε λέγομεν, ὡς ὁ τοιοῦτος μάλιστα αὐτὸς αὐτῷ αὐτάρκειας πρὸς τὸ εὖ ζῆν, καὶ διαφερόντως τῶν ἄλλων ἥμιστα ἐτέρου προσδεῖται.” Et verbis nonnullis interiectis:

„Ὅρθῶς ἄρ' ἂν ἐξαιροῖμεν τοὺς θρήνους τῶν ὀνομαστῶν ἀνδρῶν, γυναιξὶ δὲ ἀποδοῖμεν.”

Iure igitur reiciendum esse luctum propter claros viros susceptum diserte hoc loco dicit Plato. Quod idem iam ante dixerat strenuis viris dolori indulgere haud licere perhibens:

*Resp.* 387 D:

„Καὶ τοὺς ὀδυρμούς ἄρα ἐξαιρήσομεν καὶ τοὺς οἰκτους τοὺς τῶν

ἔλλογιμων ἀνδρῶν;" — „Ἀνάγκη, ἔφη, εἶπερ καὶ τὰ πρότερα (τὰ περὶ τῶν ἐν "Αἰδοῦ λεγόμενα sc.)" — „Σκόπει δὴ, ἦν δ' ἐγώ, εἰ ὀρθῶς ἐξαιρήσομεν ἢ οὐ· φαμέν δὲ δὴ, ὅτι ὁ ἐπιεικὴς ἀνὴρ τῷ ἐπιεικεῖ, οὐπερ καὶ ἐταῖρός ἐστι, τὸ τεθνάναι οὐ δεινὸν ἡγήσεται." — „Φαμέν γάρ." — „Οὐκ ἄρα ὑπέρ γ' ἐκείνου ὡς δεινὸν τι πεπονθότος ὀδύροιτ' ἄν." — „Οὐ δῆτα." —

Iniuria misericordiam ipsam hic significari putat Herwegen.<sup>1)</sup> Sequitur quidem e Platonis verbis ut, qui virorum insignium mortem non iam maereat, eum misereri aliquam ob causam lugentium verisimile non sit. Sed suum propter alterius mortem ostentantes dolorem increpare Platonem ipsis verbis manifestum est. Quid enim „οἰκτος" significat? Querelam misericordiam exprimentem, ut legimus *Apol.* 34 C et 37 A. Duabus de causis haec querela impedienda erit: prima est, quod virum dedecet; secunda, quod clari viri in Orco nil miserabile patiuntur. Sin autem tale quid paterentur, ita pergimus, misereri eorum hanc ob causam liceret, dummodo sine vana doloris ostentatione id fieret. Ipsa igitur misericordia, quae non, ut commiseratio, animi professio, sed animi condicio potius appellanda est, loco supra citato incriminari non videtur.<sup>2)</sup>

Post hanc longiorem Platonicae opinionis descriptionem intellegi melius poterit Stoicos magni praecessoris sui vestigia pressisse eosque non solum maeroris indicia, sed totam misericordiam radicis extirpandam putasse. Quam doctrinam eloquentissime refellere conata est religio christiana, cuius inter fidei fundamenta

1) O. Herwegen, *Das Mitleid in der griechischen Philosophie bis auf die Stoa*, Diss. Bonn. 1912, p. 49—53.

2) Prorsus aliter censet Aristoteles, cuius pernota tragoediae definitio (*Poet.* c. 6, p. 1449b) inter alia haec continet verba: „<τραγωδία> δὲ ἔλεον καὶ φόβον περιβαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν." Ad quae adnotatur a nescio quo in Poeticorum editione (*Loeb Class. Libr.*, Introd. p. XIII): „The soul, like the body, needs an occasional purge (κάθαρσις). Pent-up emotion is apt to explode inconveniently. What the citizens need is an outlet, such as dramatic poetry conveniently supplies. We must remember that the Athenian could not go to the theatre every day. That would be emotional dysentery. He took his purge regularly twice a year. Thus the emotions, that would otherwise have curdled or atrophied, were stirred to a storm and safely drawn off. To afford this pleasurable relief is the object of poetic drama". — Haec magis ipsam tangere rem mihi videntur quam quae dicit A. Rostagni (*ad loc.*, Torino, 1927), qui κάθαρσιν non purgare animum, sed honestiores reddere perturbationes putat. — Sed haec ad argumentum nostrum non nisi oblique pertinent. Bibliographiam praebet Paul Gohlke, *Jahresbericht über die Fortschritte d. klass. Altertumswissenschaft*, 220 (1929) p. 265—328.

colitur misericordia. Postea philosophicis argumentis defendit eam Schopenhauer, repudiavit Nietzsche, nec intra breve tempus controversiae huius finis aderit, cum paucae res artius cum vita nostra cohaerere videantur et sub verborum specie verae ingentesque lateant difficultates. Proinde cavendum est maxime ne receptis, quae malimus, veritati noceamus.

---

## CAPUT I.

### QUID DE MISERICORDIA STATUERINT STOICI VETERES.

Omne systema philosophicum, quod praecepta moralia comprehendere volet, incidet in difficultates, non tantum in exsequendo, quae certis praecipuntur regulis, sed etiam in excogitandis singulis horum praeceptorum elementis, ut aliud ex alio consequatur neve eorum quicquam ceteris totius doctrinae partibus contrarium sit. Philosophus, qui veritatis quam maximae studiosus systematis sui fundamenta ponit, in vita cotidiana minimam plerumque esse vim veritatis non ignorat. Atqui duae illi patent viae, ad loca prorsus diversa ducentes, altera nullis prosequentibus solitaria, nimia comitantium turba frequens altera; quarum neutram sine damno permetiri poterit: aut animam relinquet aut animum. Etenim liber ab omnibus, quae inter homines vigere solent, consuetudinibus ingenium proprium sequatur: periculum est ne praeter ipsum nulli has cogitationes intellegant. Cuius rei haec est causa: cuiusque systematis moralis finis est mortalibus, i. e. hominibus vivis, adversus vitae incommoda quam optimum dare auxilium. Ei homines nascente philosophi alicuius doctrina sub certis condicionibus vivunt, quae liberum eorum arbitrium variis modis impedire possunt. Unde sequitur, ut quodcumque consilium ab aliis sibi detur, id pro cupiditatibus atque votis suis intueantur, utque ex his ipsis saepe rebus quid valeant data dimetiantur. Cum summam recusaverint, totum recusabunt. Ceterum vel accepta summa restant interdum minora, quibus intervenientibus natura humana viribus intentis dolisque adhibitis resistere solet. Quam ob rem duas res in statuenda morali sua doctrina observare philosophum oportet:

I. Satis sit contracta, ne humanae ambitionis ludibrium fiat utque veritati quam optime respondeat.

II. Satis sit remissa, ut utendae eius facultas maneat. Deficiente prima condicione doctrina res ridicula erit; deficiente secunda praeceptum inane.

Philosophia stoica usque ab initio multum tribuit parti morali; quod intellectu non est difficile, quoniam orta est temporibus discordia et dubitatione conspicuis. Omissis logicae ac physicae studiis contra vitae cotidianae duritiam praesidium tum peti solet perenne. Quos conatus cum adiuvere velint philosophi, quo tristiora sunt tempora, eo facilius avaris multitudinis deluduntur postulatis.

At disserendum est ante omnia, vere et audacter, post hoc demum agendum. Itaque augescentibus vitae difficultatibus praecepta moralia denuo exigantur ad ea principia, e quibus nata sunt, necesse est. Tum vero manifestum erit, singulane praecepta cum totius doctrinae structura congruant et pro certo sciemus utrum propter temporum vices commutandum sit unum alterumve praeceptum, an invicta atque integra constant decreta priora.

Quae autem subest causa, cur misericordia, societatis humanae alioquin praesidium firmum, a Stoicis reiciatur?

Ut singulorum hominum consilia cum ratione divina quam maxime congruant, adsit in animo uniuscuiusque necesse est tranquillitas quaedam atque constantia, quibus rebus fieri possit ut cognitiones, ad vivendum convenienter naturae necessariae, quam optimis fiant condicionibus. Ne quies animi perturbetur omnibus viribus cavendum est; evitentur igitur ea voluntatis aut affectus specimina, quae in vitioso iudicio posita sunt quaeque rationis facultatibus perficiendis obstare possunt. Aegritudo autem animi, unus e quattuor affectibus<sup>1)</sup>, a Stoicis irrationalis contractio (ἄλογος συστολή) vocatur:<sup>2)</sup> unde consequitur, ut a tali contractione, quippe quae rationi pugnet, quivis sapientiae studiosus abhorrere debeat; atque misericordia, quae est aegritudinis species (εἶδος

<sup>1)</sup> Affectum sive perturbationem definit Zeno apud Cic., *Tusc.* IV, 47 (cf. IV, 11): „Ita enim definit (Zeno sc.), ut perturbatio sit aversa a ratione contra naturam animi commotio.”

<sup>2)</sup> Cf. Cic. *Tusc.* IV, 14: „Itaque haec prima definitio est, ut aegritudo sit animi adversante ratione contractio.”

λύπη<sup>1)</sup>), secundum Stoicorum decreta eandem sortem patitur.

Priusquam autem pergimus, ad aegritudinis notionem adnotanda sunt nonnulla; illa enim misericordiae doctrina nititur.

„Aegritudine” vel „animi aegritudine” Cicero reddit „λύπην”<sup>2)</sup>. Animadvertendum est eum non adhibere „dolorem”, licet „animi dolorem” dicat aegritudinem *Tusc.* III, 61. At quia de animo neque de corpore agitur, ne exstaret confusio, aegritudinem potius dixisse eum verisimile puto; praeterea aegritudo, quae quidem de corpore quoque adhibetur postea<sup>3)</sup>, omnino magis vaga habenda est notio. Ceterum dolor invicem etiam in animo exstare potest; quo fit, ut ita loquatur Cicero<sup>4)</sup>: „Ut aegrotatio<sup>5)</sup> in corpore sic aegritudo in animo nomen habet non seiunctum a dolore.”<sup>6)</sup>

Morbi quoque sensus cum aegritudine coniunctus est, ut perhibet Cic. *Tusc.* III, 22—23 (contra Peripateticos disputatur): „Omne malum, etiam mediocre, malum est; nos autem id agimus, ut id in sapiente nullum sit omnino. Nam ut corpus, etiamsi mediocriter aegrum est, sanum non est, sic in animo ista mediocritas caret sanitate. Itaque praeclare nostri, ut alia multa, molestiam, sollicitudinem, angorem propter similitudinem corporum aegrorum *aegritudinem* nominaverunt. Hoc propemodum verbo Graeci omnem animi perturbationem appellant; vocant enim πάθος, id est *morbum*<sup>7)</sup>, quicumque est motus in animo turbidus. Nos melius: aegris enim corporibus simillima animi est aegritudo, at non similis aegrotationis est libido, non immoderata laetitia, quae est voluptas animi elata et gestiens. Ipse etiam metus non est morbi admodum similis, quamquam aegritudini est finitimus, sed proprie, ut aegrotatio in corpore, sic aegritudo in animo nomen habet non seiunctum a dolore. Doloris huius igitur origo nobis explicanda est, id est *causa*

<sup>1)</sup> λύπη: λει + π, cf. λει + γ, λειγαλέος, lat. lug-eo; etiam r(l)u(m)po (Boisacq).

<sup>2)</sup> *Tusc.* III, 83; IV, 18.

<sup>3)</sup> *Tac. Ann.* II, 69.

<sup>4)</sup> *Tusc.* III, 23.

<sup>5)</sup> Graece: ἀρρώσθημα i.e. νόσημα μετ' ἀσθενείας συμβαῖνον (*Stob. Ecl.* II, 93, 1); cf. Cic. *Tusc.* VI, 29: „Aegrotationem <appellant> morbum cum imbecillitate”.

<sup>6)</sup> Vid. Gal., *De Hippocr. et Plat. plac.* III, 5 (124), p. 297 M: „κατὰ τὴν καρδίαν τῆς κατὰ τὴν λύπην ἀλγηδόνος γυνομένης.” Cic. *Tusc.* IV, 14: „ut aegritudo quasi morsum aliquem doloris efficiat.”

<sup>7)</sup> Cic. *Tusc.* III, 7.

*efficiens aegritudinem in animo tamquam aegrotationem in corpore.*" — Inde concludere licet haec: omnes <sup>1)</sup> affectus sunt „morbi”; „aegritudo” autem is est affectus, quem Graeci vocant „λύπην” vel „ἄλογον συστολήν”. Aegritudo enim ea dicitur animi condicio, qua, ut Ciceronis utar verbis, molestiam, sollicitudinem, angorem sentimus. Aegritudine igitur non omnis perturbationum provincia indicatur: significari illo solet vocabulo ea affectus species, quae quasi contrahat animum ac demittat. <sup>2)</sup>

Magis dilucida fuerint priora conferenti *Tusc.* IV, 23: „Quem ad modum, cum sanguis corruptus est aut pituita redundat aut bilis, in corpore morbi aegrotationesque nascuntur, sic pravarum opinionum conturbatio et ipsarum inter se repugnantia sanitate spoliatur animum morbisque perturbatur; ex perturbationibus autem primum *morbi* conficiuntur, quae vocantur illi νόσήματα <sup>3)</sup>, eaque, quae sunt eis morbis contraria, quae habent ad res certas vitiosam offensionem atque fastidium, deinde aegrotationes, quae appellantur a Stoicis ἀρρώσθηματα <sup>4)</sup>, isque item oppositae contrariae offensiones.” Ac rursus *Tusc.* IV, 13, 29: „Quomodo autem in corpore est morbus, est aegrotatio, est vitium, sic in animo. Morbum appellant totius corporis corruptionem, aegrotationem morbum cum imbecillitate, vitium, cum partes corporis inter se dissident, ex quo pravitas membrorum, distortio, deformitas.... Sed in animo tantummodo cogitatione possumus morbum ab aegrotatione seiungere, vitiositas autem est habitus aut affectio in tota vita inconstans et a se ipsa dissentiens. Ita fit, ut in altera corruptione opinionum morbus efficiatur et aegrotatio, in altera inconstantia et repugnantia.... Morbi autem et aegrotationes partes sunt vitiositatis, sed *pertur-*

<sup>1)</sup> Cic. *Tusc.* III, 8/9.

<sup>2)</sup> Cic. *Tusc.* IV, 14.

<sup>3)</sup> Diog. La. VII, 115: „νόσημα ἐστὶ δόξα σφόδρα δοκοῦντος αἰρετοῦ”. Cf. Sen. *Ep.* 75, 11: „morbus est indicium in pravo pertinax, tamquam valde expetenda sint, quae leviter expetenda sunt”. Eadem fere verba, quamquam de aegrotatione, *Tusc.* IV, 26.

<sup>4)</sup> Stob. *Ecl.* II, 93, 1: „ἀρρώσθημα ἐστὶ νόσημα μετ' ἀσθενείας.” Cf. Cic. *Tusc.* IV, 26: „definiunt (Stoici sc.) animi aegrotationem opinionem vehementem de re non expetenda, tamquam valde expetenda sit, inhaerentem et penitus insitam.” Equidem discrimen tollit ferme Cicero ipse, *Tusc.* IV, 24: „Haec, quae dico, cogitatione inter se differunt, re quidem copulata sunt”; etiam IV, 29: „In animo tantummodo cogitatione possumus morbum ab aegrotatione seiungere.”

*bationes sintne eiusdem partes, quaestio est. Vitia enim adfectiones sunt manentes, perturbationes autem moventes, 1) ut non possint adfectionum manentium partes esse."*

Inde haec mihi concludere rectum videtur: aegritudo una e quatuor animi perturbationibus est; propterea morbos et aegrotationes gignit; quin etiam in vitium transire potest. Vitiositatis autem pars perturbationis (nec non aegritudo) vocari nequit, quoniam in perturbatione nondum tota corrupta est animi condicio nec permanet eius adfectatio. Ceterum aegritudinem aliquid morbi secum ferre necesse est, ut quae morbos aegrotationesque pariat. Aegrotationi autem (i. e. morbo cum imbecillitate) potius quam ipsi morbo accedere aegritudinem arbitror; nam imbecillitas (ἀσθένεια) efficit ut vitae incommodis resistere non valeat homo aegritudine qualibet correptus.

Communi proposita doctrina iam veterum Stoicorum sententias contemplerur. Qui quomodo misericordiam definierint, quamvis ipsa definitione veterum careamus, statuere nobis licet nonnulla Chrysippi verba cum posteriorum scriptorum definitionibus comparantibus. Apud Plutarchum autem haec legimus (*Stoic. Repugn.* C. 25, p. 1046 B):

„Ἐν δὲ τῷ δευτέρῳ περὶ Ἀγαθοῦ τὸν φθόνον ἐξηγησάμενος (Chrysippus sc.), ὅτι „λύπη ἐστὶν ἐπ’ ἀλλοτριῶς ἀγαθοῖς, ὡς δήποτε βουλομένων ταπεινοῦν τοὺς πλησίον, ὅπως ὑπερέχωσιν αὐτοί,“ συνάπτει τὰ τῆς ἐπιχαιρεκακίας. Ταύτη δὲ συνεχῆς ἢ ἐπιχαιρεκακία γίνεται, ταπεινοὺς βουλομένων εἶναι τοὺς πλησίον διὰ τὰς ὁμοίας αἰτίας· καθ’ ἑτέρας δὲ φυσικὰς φορὰς ἐκτρεπομένων ὁ ἔλεος γίνεται.” (v. Arnim III 102. 17). Ultima verba ita vertit Dübner: „diversis autem naturalibus motibus animo agitato nascitur misericordia”.

Ut ex his verbis apparet, duae res necesse est adsint, e quibus misericordia nascatur. Prima est motus naturalis, quo in videndis alienis calamitatibus impelli solet homo. Eiusmodi motus natura nobis omnibus insitos esse Chrysippus optime noverat. Quare secundam addidit causam, quae ad misericordiam pertinet: modum excedere (ἐκτρέπεσθαι).<sup>2)</sup> Devia petentibus similes sunt misericordes, quod fines a natura datos egrediuntur inani boni opinione

1) Cf. IV, 23: „Ex perturbationibus morbi conficiuntur.”

2) Cf. etiam Gal. *De Plac. Hipp. et Plat.* p. 360/61 Mueller (v. Arn. III, 127/18): „Διὸ καὶ αἱ οὕτως ἄλογοι κινήσεις πάθη τε λέγονται καὶ παρὰ φύσιν εἶναι, ἅτ’ ἐκβαίνουσαι τὴν λογικὴν σύστασιν.”



perducti. Itaque non naturalibus motibus commoveri, sed illis nimis indulgere a Chrysippo misericordia dicitur. Quodsi misericordiam semper comitatur animi quaedam mutatio, ita ut manere non possit animus intra fines suos, sed, quamquam primo naturalibus (i.e. inevitabilibus) motibus actus, paulatim quasi vagari atque errare incipiat, fieri non potest quin hanc animi condicionem consternationem vel perturbationem appellemus.

Eadem fere invenimus apud posteros, qui discerpentes veterum scripta hasce definitiones nobis reliquerunt:

Diog. Laert. VII, 111: „Ἐλεον μὲν οὖν εἶναι λύπην ὡς ἐπὶ ἀναξίως κακοπαθοῦντι.” (v. Arnim, III 99, 38).

Andronicus, „περὶ παθῶν,” 2 (p. 12, Kreuttner): „Ἐλεος μὲν οὖν ἐστὶ λύπη ἐπ’ ἄλλοτριῶν κακοῖς, ἀναξίως πάσχοντος ἐκείνου.” —

Stobaeus, *Ecl.* II, 92, 7 (Wachsmuth): „Ἐλεον δὲ λύπην ἐπὶ τῷ δοκοῦντι ἀναξίως κακοπαθεῖν.” —

Omnnes aegritudinem animi <sup>1)</sup> dicunt misericordiam. Equidem aegro animo verae naturae nostrae congruenter vivere non possumus: animus aeger, quo eundem sit, dubitat, errat, vagatur, ut dixerat Chrysippus, quem eandem aegritudinis vocem ad definiendum adhibuisse pro compilatorum unanimitate suspicor. Accedit quod exstat locus Clementis Alexandrini alterum nobis argumentum praebens (*Strom.* II, p. 466, Pott):

„Τὴν μὲν γὰρ χαρὰν εὐλογον ἔπαρσιν ἀποδιδοῦσαι· καὶ τὸ ἀγάλλεσθαι χαίρειν ἐπὶ καλοῖς· τὸ δὲ ἔλεος λύπην ἐπὶ ἀναξίως κακοπαθοῦντι· τροπὰς δὲ εἶναι ψυχῆς καὶ πάθη τὰ τοιαῦτα.” (v. Arnim III, 106, 2).

Est igitur Stoicorum veterum, quantum noti sunt nobis, sententia misericordia animi aegritudo, <sup>2)</sup> quae a naturalibus motibus profecta his ipsis nimis indulgendo contrahitur.

Hucusque de misericordiae structura egimus. Restat ut statuere conemur, quas causas Stoici primi misericordiae subesse putaverint.

Ex Diogenis, Andronici, Stobaei definitionibus comperimus misericordiam esse animi aegritudinem, cuius causa sit malum alienum. Laborandi verbum apud omnes occurrit. Nec non homine

<sup>1)</sup> λύπης versio Ciceroniana.

<sup>2)</sup> Cf. Cic. *Tusc.* IV, 7, 14: „Est ergo aegritudo opinio recens mali praesentis, in quo demitti contrahique animo rectum esse videatur.” Cf. Andron. *περὶ παθῶν* I (p. 11 Kreuttner).

laboranti ut sit indignum hoc malum postulant cuncti. Iure tamen a Diogene (ὡς ἐπὶ ἀναξίως κακοπαθεῖν) atque a Stobaeo (ἐπὶ τῷ δοκοῦντι ἀναξίως κακοπαθεῖν) maximi momenti additur adnotatiuncula. Nam non solum indignitas, sed malum ipsum tum demum efficit misericordiam, si ei, qui sive mentis suae oculis sive corporeis alieni casus spectator est, indignum illud, immo ante omnia malum illud adesse persuasum est. Fieri enim potest ut quisvis homo misericors natura, quantopere laboret alter mortalis parum intellegat: misericordia non commovebitur ille; aut rursus, ut exile quoddam malum experiatur alter, quod immensum indignissimumque videatur alteri. Cuius rei causa inscientia facti habenda est. Sicut infantes miserentur interdum eorum, qui labore fessi mane cubitum eant, quod ipsi somnum nonnisi ludorum interruptorem noverunt. Postremo ferme evenit, ut magna quidem atque indigna sit aliena calamitas, maior tamen ac constantior laborantis virtus. Qua in re nec incommoda ipsa nec aliorum miserationem multum ille curat.

Itaque dici potest misericordia animi aegritudo eorum, qui indigna pati hominem opinantur, seu recta sit ea opinio, seu falsa; atque misericordiae causa est malum alienum iniuria laborantis.<sup>1)</sup>

Quae denique in antiquorum vita misericordiae vis fuerit auctoribus Stoicis veteribus, postremo loco quaerere mihi propositum est. Postquam enim dictum est, quae mutatio in homine misericordiae fiat, eiusque mutationis quae possit esse causa, nunc quomodo ipsius qui miseretur animus vigente misericordia afficiatur disserendum erit, et quare tollendam esse eam e vita cuiusque Stoici censuerint.

Antequam vero huius rei argumenta afferantur, monendum videtur ea officia, quae sapiens sponte sua exsequatur, a ceteris quoque hominibus exigi, ita, ut eo magis sapientis similes sint, quo diligentius quoque constantius praeceptis omnibus utantur. Dum de sapiente loquitur Stoicus quilibet, bonos omnino simul significat; gradu tantum virtutis, non genere differunt.

Zenonis, cuius doctrina ut totius philosophiae stoicae auctoris magnum ad rem affert momentum, supersunt monita nonnulla, quae nobis tradidit Cicero (*p. Mur.* 29, 61):

„Huius (sc. Zenonis) sententiae sunt et praecepta eiusmodi:

<sup>1)</sup> Vid. tamen Cap. II, p. 24 sqq.

sapientem gratia numquam moveri, numquam cuiusquam delicto ignoscere; neminem misericordem esse nisi stultum et levem; viri non esse neque exorari neque placari."

Qua in oratione, utpote quae coram iudicibus habita sit, addere plura nimirum Cicero noluit; sed iam habemus, quae de Zenonis sententia statuamus. Primo gratia numquam movetur sapiens, quod idem est atque: indulgens non est. Inde sequitur delicta sapientis iudicio numquam non esse punienda. Tertio loco nemo (nedum sapiens) misericors est nisi stultus et levis; his vocabulis inducuntur, qui a Graecis *κακοί* et *φᾶῦλοι* appellantur vel ii, quorum vita bonorum sapientiumque vitae contraria est. Postremo neque exorari neque placari viri habetur: quicumque apud Stoicos in honore esse volet, is neque exorandi neque placandi se facultatem delinquentibus aliisve hominibus dabit.

Iam Zenonem vetuisse suos misereri denuo apparet apud Lactantium (*Epist. ad Pentadium* 38):

„Zeno, Stoicorum magister, qui virtutem laudat, misericordiam, quae summa est virtus, tamquam morbum animi amputandam iudicavit.” (v. Arnim I, 52, 11).

Item *Inst. Div.* III, 23:

„Inter vitia et morbos misericordiam ponit”.

Ceterum Lactantium non ex ipsius Zenonis, sed e Ciceronis operibus hausisse suspicor, quia voce „morbo” „aegritudo” quidem in cotidianum sermonem versa esse potest, <sup>1)</sup> „λύπη” <sup>2)</sup> tamen non nisi ab homine valde versuto. Satis constiterit ex omnibus, quae supra memorata sunt, misericordiam, si Stoicis veteribus credendum sit, aegritudinem esse animi. Sapiens autem tale quid caveat. Eum fortem esse oportet. Qui fortis est, idem fidens est neque quicquam extimescit. In quem enim cadit aegritudo, in eundem timor (hic imminente malo homini inicitur). Itaque in sapientem aegritudo non cadit. <sup>3)</sup>

Nec non a magnanimitate atque a temperantia, notis sapientis virtutibus, aegritudo abhorret. Accedit, quod inter varias aegritu-

<sup>1)</sup> Cf. Cic. *Tusc.* III, 22—23.

<sup>2)</sup> Andron. *Περὶ παθῶν* I (p. 11, Kreuttner): „Λύπη μὲν οὖν ἐστὶν ἄλογος συστολή· ἢ δόξα πρόσφατος κακοῦ παρουσίας.” Cic. *Tusc.* IV, 14: „aegritudo est animi adversante ratione contractio” et III, 25: „aegritudo est opinio magni mali praesentis et quidem recens opinio talis mali.”

<sup>3)</sup> Cic. *Tusc.* III, 7, 14 et 15.

dinum formas omnino non intersit, ita ut omnes aegritudines pariter spernendae sint. De quo cf. Cic. *Tusc.* III, 9, 20:<sup>1)</sup>

„Etenim si sapiens in aegritudinem incidere posset, posset etiam in misericordiam,<sup>2)</sup> posset in invidentiam.” § 21: „Nam qui dolet rebus alienis adversis, idem alicuius etiam secundis dolet, ut Theophrastus interitum deplorans Callisthenis, sodalis sui, rebus Alexandri prosperis angitur, itaque dicit Callisthenem incidisse in hominem summa potentia summaque fortuna, sed ignarum quemadmodum rebus secundis uti conveniret. Atqui quemadmodum misericordia aegritudo est ex alterius rebus adversis, sic invidentia aegritudo est ex alterius rebus secundis. In quem igitur cadit misereri, in eundem etiam invidere; non cadit autem invidere in sapientem: ergo ne misereri quidem. Quodsi aegre ferre sapiens soleret, misereri etiam soleret. Abest ergo a sapiente aegritudo.”

Aliquid commune habent omnes animi aegritudines: ex eodem fonte universae manant: ex opinione prava scilicet, quae omnino affectuum causa dici potest. Huic opinioni numquam assentitur sapiens. Propterea, quamquam ante dictum est homines misericordes alium quendam indigna pati persuasum habere eamque opinionem aut rectam aut falsam esse posse, nunc adiciendum erit sapientem utique falsam talem opinionem esse iudicaturum.

Satis manifestum fuerit veteres iam Stoicos misericordiam, cuius auctoritatem perbene nossent, ut animi adversus alienas calamitates aegrotationem multis verbis damnavisse. In cotidiana quoque hominum vita viro bono misericordiam esse non licere certiores nos facit Origenes, qui (*Comm. in Ezech.*, Cap. 8, Tom. III, p. 424 Delarue)<sup>3)</sup> haec narrat:

„Ἐλεος ὄντινα ὠρίσαντο οἱ περὶ ταῦτα δεινοὶ λύπην εἶναι ἐπὶ τῇ τοῦ πλησίον δυσπραγίᾳ· καὶ φασὶ μὴ δεῖν ἰατρὸν ἢ δικαστὴν τοῦτον τὸν ἔλεον ἔλεεῖν, μὴ ποτε συγχυθέντες ὑπὸ τῆς ἐπὶ τὸ οὕτως ἔλεεῖν ἐπαγούσης λύπης ἐμποδισθῶσιν ἀποδοῦναι τὸ ἰατρικὸν ἢ τὸ δικαστικὸν συμφερόντως τῷ θεραπευομένῳ ἢ τῷ δικαζομένῳ ἔργον.” ---

<sup>1)</sup> E fonte stoico provenire §§ 14—22 monet Cicero § 13: „et primo, si placet, Stoicorum more agamus”, et § 22: „haec sic dicuntur a Stoicis concludunturque contortius.” Cf. R. Hirzel, *Unters. zu Cic. philos. Schriften*, III, 1883, p. 414 sqq.

<sup>2)</sup> Hoc loco demonstratur, quam facile alio admissio vitio aliud clam insinuetur; ita misericordia excluditur, quia invidentia intolerabilis est.

<sup>3)</sup> v. Arnim III, p. 109

Hic praecepta Stoica quae tristia nonnumquam et sine corporibus nomina nobis videntur, ad vitam cotidianam recta via aptantur. Et id quidem optimo iure. Nam quis medicus aegrotantium misericordia commotus officio suo fungi adhuc valeret? Cui, etiamsi quam poterit humane tractabit aegros, at semper quod usui est illis, neque quod placeat, erit adhibendum remedium.

Quod ad iudicem, eum quoque misericordia impedit, quominus munus suum recte tueatur. Quotusquisque iudici misericordiae obnoxio ideoque reos absolventi confidere potest? Id ipsum tamen diserte dicere velim, in iudice praesertim improbasse Stoicos nimiae humanitatis sensum. Identidem enim in eorum operibus redit de iudicibus, magistratibus, principibus disputatio, unde missis ambagibus apparet, quanto maiorem vim in horum actis ac decretis quam in privatorum hominum habere misericordiam iudicaverint. Quod ne miremur: omnium tum agitur salus.

Ad eadem pertinent, quae leguntur apud Diog. Laert. VII, 123<sup>1)</sup>:

„Ελεήμονάς τε μή εἶναι (τοὺς σοφοὺς sc.) συγγνώμην τε ἔχειν μηδενί· μή γάρ παριέναι τὰς ἐπιβαλλούσας ἐκ τοῦ νόμου κολάσεις (ἐπεὶ τό γε εἶκειν καὶ ὁ ἔλεος αὐτῆ τε ἡ ἐπιείκεια τοῦδεμῖα<sup>2)</sup> ἐστὶ ψυχῆς πρὸς κολάσεις προσποιουμένη χρηστότητα) μηδὲ οἶεσθαι σκληροτέρας αὐτὰς εἶναι.” —

Sicut apud Origenem, ita apud Diogenem hanc esse Stoicorum sapientiae doctrinam videmus: sapiens iniuriam affert nullam, iustitia ab eo numquam non colitur: iustae autem quorundam facinorum exstant poenae,<sup>3)</sup> quae diversas ob causas remitti solent. Sapienti misericordia remittendi poenas causa non erit, primo quod severiores illas non iudicat, quippe quae lege factae sint, deinde (atque hoc est ipsum Stoicum) quod misericordiam (nec non ipsam clementiam) animi futilitatem putat. Quae futilitas minime est bona, speciem tantum boni ostentare conatur.

Tractatis paucis, quae supersunt, Stoicorum veterum fragmentis nunc statuere in animo mihi est, quid de misericordia existimaverint posteriores, imprimis Panaetius atque Posidonius, post hos Cicero et Cato, ut ostendatur, qua ratione Stoica misericordiae doctrina usque ad aetatem Senecae se habuerit.

1) v. Arnim III, 163, 5.

2) ἀδυναμία v. Arnim; malim: ἀσθένεια, cf. Epict. II, 11, 1; II, 15, 20; II, 8, 25; Cic. *Tusc.* IV, 29; K. Reinhardt, *Poseidonios*, 1921, p. 281 et 303.

3) De poenae definitionibus Stoicis cf. Clem. Alex. *paed.* I. 137.

## CAPUT II.

### QUOMODO DE MISERICORDIA IUDICAVÉRINT STOICI RECENTIORES.

Complura per saecula viguit doctrina Stoica, docueruntque homines philosophi Stoici. Quamobrem fieri vix poterat, quin alia huius philosophiae dogmata temporum vice mutarentur, alia paene evanescerent. Quaenam humana ratio mutatis temporibus restiterit? Crescunt progrediendo, quae vivis hominum sententiis sustententur, crescendoque mutantur, peritura quondam.

Mutationis illius duplex causa reperiri potest: nam et hominum opiniones veteri doctrinae quasi vim afferre conantur, et ipsi sectae primores pro virili parte innovandi quaedam occasionem arripere solent.

Stoici primi, quos cum Cynicis satis arte coniunctos fuisse constat, a publica vita sese abstinuerant in vitae privatae officia maxima ex parte intenti. Secundi primique a. Chr. n. saeculorum ingenia, prorsus aliam ingressi viam, rei publicae studium variis modis ostendunt. Aetate imperatoria iuxta servum illum Hierapolitanum videmus consilii principis participem, quin etiam principem Stoicorum vestigia prementem.

Hoc non fortuito esse factum apparet ex iis mutationibus, quae a Stoicis recentioribus effectae sunt. Quorum maxime insignes hoc capite tractabuntur Panaetius et Posidonius, quibus ob causas divinatū haud difficiles addentur Cicero et Cato.

#### A. Panaetius.<sup>1)</sup>

Auctore Panaetio animus in semine inclusus a parentibus in liberos transfertur. Iam per totum incrementum embryonale in

<sup>1)</sup> cf. A. Schmekel, *Die Philosophie der Mittleren Stoa*, p. 185—238. Etiam Basile N. Tatakis, *Panētius de Rhodes, le fondateur du moyen stoïcisme, sa vie et son œuvre*, Paris, 1931; hoc opus inspicere me non potuisse doleo.

formandis hominum animis magnam vim attribuit dissimilitudini locorum variaequae caeli moderationi. Itaque animus corpori insinuatus cum ipso corpore coniunctus est, unde illi simul cum eo pereundum quoque erit. Mortalis igitur est hominis animus.

Duae sunt partes, in quas a Panaetio dividitur animus: ratio et impetus. Qui impetus nisi a ratione intra certos fines continetur, periculum est ne perturbatio evadat.

Pro tali animi divisione ratio ipsa dividitur: proinde describuntur perfecta ratio atque imperfecta ratio. Ac rursus duplex summum bonum, et duplex summi boni finis. Quod deinde ad formam summi boni pertinet, alia ab alia differt multum, prout in singulorum hominum animis proprium aliquid inest. Sapienti summum bonum est perfecta rationis condicio; aliis hominibus summum bonum est perfecta propriae naturae condicio. Sapientis virtus nullam habet maculam. Aliorum virtus vitiis nonnullis obnoxia est. Natura similes gradu perfectionis diversae sunt, sicut privatus homo particeps quidem est virtutis perfectae, nec tamen eam possidet totam.

Hanc rem maioris esse momenti quam primo aspectu videatur, demonstrare velim: Stoicorum veterum sententia, sapientis virtutem si exceperis, alia exstare virtus nullo modo potest. Sapiens solus bonus iudicatur, ceteri omnes mali sunt. Ut sint alii mali tantum, alii deterrimi, virtute praeter sapientes nulli non carent. Contra Panaetii opinione fieri potest, ut maturescens proponat sibi homo summum quoddam bonum, quod ut consequatur minore quam antea labore fiat. Fortasse etiam dicendum est tum vero hominem privatum secundum Stoica praecepta virtutem consequi potuisse, cum non iam plane vires eius superaret virtus, sed propius ad eam accessisset.

Quid haec ad misericordiam? Antequam huic respondemus quaestioni, statuendum est, quibus modis Stoici recentiores significaverint misericordiam. Rara sunt huius rei in recentiorum philosophorum fragmentis testimonia quaeque eorum fuerint sententiae magna ex parte conicere debemus.

In Ciceronis de Officiis libro primo<sup>1)</sup> quemadmodum iustitiam definierit Panaetius disputatur, ibique legimus iustitiam esse eam virtutis partem, quae actiones atque officia adversus alios observanda

<sup>1)</sup> §§ 20—60, quorum §§ 20—32 utique Panaetio attribuendas censet Schmekel, l. l., p. 31.

complectitur. Iustitiam illam mediam esse dicas inter amorem universi generis humani atque amorem sui. Haec revera fuit doctrina Stoica, si credimus Ciceroni, qui, postquam disseruit eorum, quae natura sint communia, quod cuique obtigerit, id cuique tenendum esse, ita pergit (*De Off.* I, 7. 22):

„Sed quoniam (ut praeclare scriptum est a Platone) non nobis solis nati sumus, ortusque nostri partem patria vindicat, partem amici — atque, ut placet Stoicis, quae in terris gignantur, ad usum hominum omnia creari, homines autem hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se, aliis alii prodesse possent: in hoc naturam debemus ducem sequi, communes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiundo, tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter homines societatem.”

Homines, ut apparet, hominum causa nati sunt: quod adiuvabit sane iustitiam. Quid tamen sequitur? „Fundamentum est autem iustitiae fides: id est dictorum conventorumque constantia et veritas. Ex quo, quamquam hoc videbitur fortasse cuipiam durius, tamen audeamus imitari Stoicos, qui studiose exquirunt, unde verba sint ducta.”

His verbis dubium non est, quin eiusmodi iustitiae fundamentum misericordia haudquaquam esse potuerit, quandoquidem iustitia dictorum conventorumque constantia et veritate nasci debet, misericordiam ex aegra animi condicione originem ducere pro certo habere licet. „Nempe hoc, dixerit quispiam, non necessario fieri debet, ut e misericordia nascatur iustitia. Immo potius ut omnis iustitia misericordia careat.” At cogitemus in vita cotidiana iustitiam plus esse quam id, quod legibus praescribitur, nec ullas iustorum hominum actiones solis ratiunculis fieri; quod ius quidem dici possit, nec tamen iustitia. Atque haec fuerit causa, cur misericordia cum iustitia coniungatur.

Misericordiam tamen iustitiae non accedere vel ex eo concludere possumus, quod in Ciceronis operibus, quibus recentiorum Stoicorum iudicia tradita sunt nobis, de iustitia quidem multum, de misericordia nihil sit scriptum. Qua de re si cum veteribus recentiores non consensissent, significata certe esset eorum controversia. Itaque veri simile est misericordiam a Stoicis recentioribus utique non fuisse comprobata.

Attamen exstant de hac re iudicia alia, quae commemorare ex



re videtur. Prorsus improbaverunt unamquamque perturbationem Zeno atque Chrysippus. Panaetius vero, eumque secutus Posidonius nec voluptatem reiecerunt totam nec dolorem, dummodo illae aegritudines naturalibus comitarentur desideriis. Summum bonum nequaquam sunt, contemnendae semper; nec iam extirpandae habentur. Hinc profecti tranquillitatem animi atque indolentiam, priorum quodammodo vim ac decus, ultro damnaverunt, ut tradit Cicero, *De Fin.* IV. 9. 23, ubi de nimia Stoicorum tristitia agitur:

„Itaque homo imprimis ingenuus et gravis, dignus illa familiaritate Scipionis et Laelii, Panaetius, cum ad Q. Tuberonem de dolore patiendo scriberet, quod esse caput debebat, si probari posset, nusquam posuit, non esse malum dolorem: sed quid esset et quale, quantumque in eo inesset alieni, deinde quae ratio esset perferendi: cuius quidem, quoniam Stoicus fuit, sententia condemnata mihi videtur esse immanitas ista verborum.”<sup>1)</sup>

Idem fere narrat Gellius, qui (*N. A.* XII. 5—10) Tauri philosophi opinionem refert nobis disserentis post visitatum amicum graviter aegrotantem, quid de dolore patiendo sentiat ipse. Quo in sermone non assentitur praecepto veteri: contemni a viro bono omne incommodum, quod decori vel honesto obstat, sapientemque opprimere quidem omnem dolorem non posse, sed cum eo perpetuo pugnare: „Sed haud scio, inquit, an dicat aliquis: ipsum illud quod pugnatur, quod gemit, si malum dolor non est, cur necesse est gemere et pugnare? Quia enim omnia, quae non sunt mala, molestia quoque omni non carent; sed sunt pleraque noxa quidem magna et pernicie privata, quia non sunt turpia; contra naturae tamen mansuetudinem lenitatemque opposita sunt, et infesta, per obscuram quandam et necessariam ipsius naturae consequentiam. Haec ergo vir sapiens tolerare et cunctari potest; non admittere omnino in sensum sui non potest; ἀναλγησία enim atque ἀπάθεια non meo tantum, inquit, sed quorundam etiam ex eadem porticu prudentiorum hominum, sicuti *Panaetii gravis atque docti viri iudicio improbatam abiecta est.*”

Indolentiam igitur et absolutam animi tranquillitatem damnavit Panaetius teste Tauro; misericordiam tamen illis contrariam nihilo-

1) cf. Diog. La. VII. 128: „ὁ μέντοι Παναίτιος καὶ Ποσειδώνιος οὐκ αὐτάρκη λέγουσι τὴν ἀρετὴν, ἀλλὰ χρειαὶ εἶναι φασὶ καὶ ὑγείας καὶ χορηγίας καὶ ἰσχύος.”

minus reiecisce eum ut animi ad impetum propensae partis intemperantiam veri simile est.

### B. Posidonius.<sup>1)</sup>

Utrum Panaetius exemplo veterum totam damnaverit misericordiam an certis eam condicionibus admiserit, omnium, quae supersunt, indiciorum habita ratione manet incertum. Non aliter ferme se habet res Posidonii reliquias rimanti. Adsunt quidem sententiae quaedam, e quibus conicere nonnihil nobis licet, sed fragmentorum paucitate certiora praesto non sunt.

Ut factum erat a Panaetio, ita a Posidonio quoque severissima veterum praecepta in remissiora quodammodo flectuntur. Summi boni, inquit, finis, qui humanas facultates excedit, expetendus non est, quia finis proprio sensu haberi non potest.<sup>2)</sup> Virtutem consequi nos *posse* necesse est; quod fieri potest, dummodo talis sit ea virtus, ut postulata humanas superantia vires ab ea non afferantur. Haec vel causa esse videtur, cur de sapientis officio non eadem atque praecessores dixerit Posidonius. Cum enim eo auctore moralis quoque philosophiae fundamentorum initium sit veritas nec quisquam adhuc totam cognoscere veritatem potuerit, perfecti sapientis nomen nemo mortalis meretur. Nihilominus saeculis peractis virtute atque constantia nonnihil profecit humanum genus, ideoque vulgo sapientem appellare licitum est, qui pro magnitudine operis multum sit consecutus. Cuius virtutes ipsum quidem honestum nondum complexae similitudines tamen honesti iure vocantur.

His consentaneum est, quod etiam de perturbationibus diversa dicit Posidonius, qua in re magnopere a Chrysippo discrepasse eum apparet. Hic enim et aliis modis, quid esset perturbatio, ostenderat, et, quia *opinionēs* (falsae sc.) regnent in hominis animo perturbationibus obnoxio, *sententias* appellaverat perturbationes,<sup>3)</sup> propterea quod in tali condicione certa sentiat homo vel potius certas res

<sup>1)</sup> cf. Schmekel, l. l. p. 238—290.

<sup>2)</sup> Schmekel, p. 270; Galenus, *De Plac. Hipp. et Platonis*, ed. Iwan Müller, Lipsiae 1874, p. 450 sqq.

<sup>3)</sup> Galenus, l. l. V. 1. p. 405 Müller: „Χρῆσιμος μὲν οὖν ἐν τῷ πρώτῳ περὶ παθῶν ἀποδεικνύσθαι πειρᾶται κρίσεις τινὰς εἶναι τοῦ λογιστικοῦ τὰ πάθη.” Cf. Diog. La. VII. 111 (v. Arn. III, 110, 38).

bonas aut malas iudicet. Quod enuntiatum permulta Chrysippo etiam post mortem contraxit opprobria. Etenim iis, qui prae verborum specie ipsas nonnumquam neglegunt res, intellectu non est facile. Ceterum, quatenus apud Galenum, quem captandi errores avidum recte deprehendit Reinhardt<sup>1)</sup>, fide digna invenimus, ipse Posidonius Chrysippi placitis nimis obtrectasse videtur. Quaecumque a Chrysippo de natura perturbationum proponuntur, contemptuose recusat Posidonius, quem nulla alia movere potest quaestio nisi haec: „quae perturbationum omnium est causa?”

Chrysippus in tractanda perturbationum natura duas res ad perturbandum multum valere censuerat: magnitudinem earum rerum, quarum nascatur opinio, et animi imbecillitatem.<sup>2)</sup> Utramque negans rem Posidonius, qui naturalem affectuum causam reperire studet, irracionales quasdam facultates<sup>3)</sup> ut causas perturbationum profert. In duas enim partes animum dividi, in rationalem irrationalemque; quarum haec suas ipsa habeat virtutes, non sapientiam prudentiamque, sed temperantiam: huius partis esse rationi quam maxime obtemperare (quod nisi fortuito fieri non posse Posidonium fefellit). E parte irrationali evadere impetus, qui si fines a natura sibi datos excedant, perturbationes dici. Has perturbationes eo maiores esse solere, quo minus assuefactus sit talibus motibus animus, i. e. quo minus resistendo atque meditando exercuerit se. Quare in exsequenda virtute illud esse primum, ne qua facultate irrationali circumagi nos sineremus.<sup>4)</sup>

Conanti e Posidonii fragmentis de misericordia nonnulla enucleare, sicut apud Panaetium, obstat indiciorum paucitas, propter quam fieri vixdum potest, ut dilucide haec animi condicio describatur. Auctorem nostrum, quem dolorem esse malum negasse tradit Cicero,<sup>5)</sup> misericordiam ut perturbationis speciem utique evitasse satis constiterit. De natura vero misericordiae quid senserit, de eius affectus in hominum societate partibus quomodo iudicaverit, ignotum est nobis. Pauca nihilominus supersunt, quibus perspicere licet, quo adminiculo usus sit Posidonius, ut condicionem animi

<sup>1)</sup> Karl Reinhardt, *Poseidonios*, München, 1921, p. 263, 269—273, 278.

<sup>2)</sup> Galenus, *De Plac. Hipp. et Plat.*, p. 370, sq. M.

<sup>3)</sup> Δυνάμεις; cf. Gal. I.I. p. 432. 8; 343. 9—10; 367. 10. M.

<sup>4)</sup> Gal. I.I. p. 449. 7—8. M.

<sup>5)</sup> Cic. *Tusc.* II. 61.

misericordia aliove affectu percussi depingeret. Nota nobis sunt illa e Galeni opere, quo Chrysippi placita quaedam cum sententiis Posidonii comparat. Ceterum initium sit Diog. La. VII. 115 (de Chrysippo agitur):

„Ὡς δὲ λέγεται τινὰ ἐπὶ τοῦ σώματος ἀρρώστηματα, οἷον ποδάγρα καὶ ἀρθρίτιδες, οὕτω καὶ τῆς ψυχῆς φιλοδοξία καὶ φιληδονία καὶ τὰ παραπλήσια. τὸ γὰρ ἀρρώστημά<sup>1)</sup> ἐστὶ νόσημα μετὰ ἀσθενείας, τὸ δὲ νόσημα οἷσιν σφόδρα δοκοῦντος αἵρετοῦ.

Καὶ ὡς ἐπὶ τοῦ σώματος εὐεμπτώσαι τινὲς λέγονται, οἷον κατάρρους καὶ διάρροια, οὕτω καὶ τῆς ψυχῆς εἰσὶν εὐκαταφορία, οἷον φθονερία, ἐλεημοσύνη, ἔριδες καὶ τὰ παραπλήσια.”

Apparet certa incommoda, quae animum conturbent, comparari cum similibus corporis incommodis: corporis afferuntur exempla podagra atque articularum dolores, animi gloriae atque voluptatis appetitio. Itaque in animo aegrotanti similia fieri necesse est eorum, quae in corpore podagra vel articularum dolore laboranti fiant: tale autem corpus ita laborat, ut prae imbecillitate quadam solitos nequeat exercere motus. Unde apparet animum aegrotantem ita aegrotare, ut prae imbecillitate quadam impediatur, quominus soliti perficiantur motus. Soliti autem animi motus (impetus sc.) hi sunt, qui modum a natura sibi datum non excedant.

Facile igitur intellegatur ita pergere Diogenem: aegrotationem<sup>2)</sup> esse morbum cui imbecillitas comitetur, morbumque animi esse opinionationem eius rei, quae vehementer expetenda videatur.

Illi aegrotationi antecedere solent duae animi condiciones, quarum altera omnes, altera singulas aegrotationes efficiat. Omnium animi aegrotationum fons est habitus malus (καχεξία)<sup>3)</sup>, qui sicut in corpore morborum viribus facilem praebet aditum, ita in animo alimenta suppeditat aegrotationibus. Singularum autem aegrotationum initium est proclivitas (εὐκαταφορία)<sup>4)</sup>, de cuius natura vocabula κατάρρους atque διάρροια, ex arte medica desumpta, omnem, ut suspicor, dubitationem sustulerint. Exempla exstant φθονερία, ἔριδες, ἐλεημοσύνη,

<sup>1)</sup> cf. Cic. *Tusc.* IV. 22—23.

<sup>2)</sup> Cic. *Tusc.* IV. 22 et 23.

<sup>3)</sup> Galenus p. 414, M.

<sup>4)</sup> Hoc vocabulum proclivitate reddit Cic. *Tusc.* IV, 27—29. Ceterum φορὰς iam dixerat Chrysippus eos impetus, qui in perturbationes mutantur; cf. supra p. 11.

quarum ultima non est misericordia <sup>1)</sup>, sed inclinatio ad misericordiam sive ea condicio, in qua facile in misericordiam incidit animus.

A prioribus satis abhorrent, quae Posidonius moralis doctrinae elementa collegit: eo auctore imbecillitas quidem inest in animo perturbato, nec tamen haec perturbandi causa dicenda est. <sup>2)</sup> Causae enim sunt irrationales animi facultates. Chrysippus, cum ad perturbationes proclivem esse stultum dicit, non communem imbecillitatem, sed quasi longius provectam <sup>3)</sup> significat. At Posidonii sententia communis et una in omnibus perturbationibus imbecillitas est habenda <sup>4)</sup>, nec tantum postquam modum excesserit imbecillitas eius, in perturbationem incidet homo, sed omnino, quotiens sapientiam certo tenore non sequetur, talia manebunt eum abominanda. <sup>5)</sup> Quod certe numquam negavit Chrysippus: immo vero nisi sapientem omnia pati posse hominem perhibuerat. <sup>6)</sup>

Collatis utriusque philosophi sententiis eo potissimum ab antiquis differre videtur Posidonius, quod in una atque communi imbecillitate posuit, quae illi in pluribus imbecillitatis generibus posuerunt. Quibuscum si contuleris, quod auctore Posidonio vir vere sapiens cogitari vix potest, <sup>7)</sup> quodque non tantum de sapiente proprio sensu, sed etiam de „vulgo sapienti” loqui solet, <sup>8)</sup> arridebit fortasse coniectura talis: Posidonius imbecillitatem illam, quippe quae causis externis <sup>9)</sup> provocari non possit, non eadem qua veteres severitate condemnavit: nam si ex insitis ipsi animo facultatibus solis nascentur perturbationes, quis fuerit, qui tantopere illarum facultatum vim suppressere valeat, ut animum non iam perturbent?

<sup>1)</sup> Ut minus recte vertit Cobet. Nam sicut φθόνος indicatur animi *status*, ita φθονερία animi *proclivitas*. Cf. Cic. *Tusc.* IV. 27—28. Misericordia igitur hic est idem atque ad miserendum proclivitas.

<sup>2)</sup> Gal. p. 380 et 396, M.

<sup>3)</sup> Ἐπὶ πλείον ἐρρηγκύϊαν (Gal. p. 371, M.).

<sup>4)</sup> Gal. p. 381. 4. M: „κοινή γὰρ αὐτὴ γε κατὰ πάντα τὰ πάθη καὶ μία.”

<sup>5)</sup> Gal. p. 371. 10. M: „οὐ μόνον δὲ οἱ ἐπὶ πλέον ἐρρηγκύϊαν ἔχοντες τὴν κακίαν καὶ ἐν ταῖς εὐεμπτωσίαις ὄντες ἐμπίπτουσιν εἰς τὰ πάθη, ἀλλὰ πάντες οἱ ἄφρονες, ἕως ἂν ἔχωσι τὴν κακίαν, καὶ εἰς μεγάλα πάθη καὶ εἰς μικρὰ ἐμπίπτουσιν.”

<sup>6)</sup> Cic. *De Fin.* III. 48; IV. 21.

<sup>7)</sup> Schmekel, p. 366.

<sup>8)</sup> Schmekel, p. 372.

<sup>9)</sup> Galenus, p. 371—376. M.

Quocum satis belle congruat, quod circumagi quidem ab irrationalibus facultatibus nequaquam patitur hominem,<sup>1)</sup> de exstirpandis autem radicitus eis tacet. — Ceterum pro certo habere omnia ea prae fragmentorum statu imperfecto non audeo.

Idem spectare videntur, quae de animi condicione cum corporis habitu a Posidonio comparata Galeno interprete accipimus. Chrysippus enim stultorum animos similes esse dixerat eis corporibus, quae morbo quopiam facile corripentur.<sup>2)</sup> Cui comparationi Posidonius ita quidem assentitur, ut declaret iure a Chrysippo stultos aegrotare dici eorumque aegrotationes corporum morbis esse similes.<sup>3)</sup> Quod tamen ad cetera attinet, haec est Posidonii sententia: „animus imbecillus comparandus est cum corpore sano (proclivitate ad morbum secum ferenti) vel cum ipso morbo.”<sup>4)</sup> Atque addit nonnulla, quae manifestiora fortasse de eius doctrina afferant. Primo negat animi sanitatem cum bona valetudine corporis posse conferri, nec animi morbum cum corporis ad aegrotandum proclivitate. Hic errat Posidonius. Nec enim cum animi morbo corporis proclivitate comparaverat Chrysippus, sed cum stultorum animo, quem non necessario revera iam aegrotare clarum est ex ipsius Chrysippi verbis.<sup>5)</sup> Eam ipsam autem ob causam stultorum animus corpori ad morbum proclivi similis esse optimo iure dicatur.

Hoc ad probandam opinionem supra significatam argumento usus est Posidonius: asseverat „animi sanitatem cum corporis sanitate animique morbum cum corporis ad aegrotandum proclivitate propterea comparare licitum non esse, quod animus quidem nullis iam

1) Galenus, p. 449. 7; Clem. Alex. *Strom.* II, p. 416 B (Schmekel p. 270. 4; cf. pp. 270. 5 et 278. 3).

2) Galenus, p. 408 et 409, M: „Χρύσιππος μὲν γὰρ ἀνάλογον ἔχειν αὐτὴν φησι τοῖς ἐπιτηδεύουσιν σώμασιν εἰς τυρετοῦς ἐμπίπτειν ἢ διαβροχίας ἢ τι τοιοῦτον ἕτερον ἐπὶ σμικρᾷ καὶ τυχεύσει προφάσει.”

3) Gal. p. 409: „Συμφέρεται μέντοι τῷ Χρυσίππῳ καὶ αὐτός, ὡς νοσεῖν τε λέγειν τὴν ψυχὴν ἅπαντας τοὺς φαύλους εἰκέναι τε τὴν νόσον αὐτῶν ταῖς εἰρημέναις τοῦ σώματος καταστάσεσιν.”

4) Gal. p. 409 M: „Ἀλλὰ δικαιότερον εἶναι προσεικάζειν τὰς τῶν φαύλων ψυχὰς ἤτοι τῇ σωματικῇ ὑγιείᾳ ἐχούσῃ τὸ εὐέμπτετον εἰς νόσον . . . ἢ αὐτῇ τῇ νόσῳ, εἶναι γὰρ ἤτοι νοσῶδη τινὰ ἔξιν ἢ ἤδη νοσοῦσαν.”

5) Galenus, p. 414/415, M.: „καὶ κατὰ τὴν ψυχὴν τινὰς λέγομεν ἰσχύειν καὶ ἀσθενεῖν καὶ εὐτόνους καὶ ἀτόνους εἶναι καὶ ἔτι νοσεῖν καὶ ὑγιαίνειν.”

incommodis obnoxius fieri possit, corpus numquam possit.”<sup>1)</sup> Haec quoque recta non sunt: nam perfectus habitus neque in animo neque in corpore ulli homini umquam contingit: si quem proponimus, nonnisi summi boni finis habendus est. Perfectos ipsos nominant quidem quosdam Stoici, ut Socratem, Catonem. Exemplis carere quis umquam mortalis sustinuit? Rursus corpora proprie perfecta, ita ut nullo morbi genere affici possint, ubi terrarum exstant? Itaque, nisi de fine quodam loquamur, corpus animumve omnibus vacare posse vitiis ne putemus.

Sin autem exstant animi, qui certo temporis momento perfecti iure vocantur, comparandi sine dubio sunt illi cum iis corporibus, quae certo temporis momento morbo carent omni. Quamvis enim fieri possit, ut in aegrotationem incidant olim, tamen hoc iis accidere veri simile non est: sin autem accidit, morbi incommodis multo facilius resistit tale corpus; quamobrem in hac praesertim re comparentur animus corpusque.

Imbecillus vero animus aegro corpori similis dici (ut vult Posidonius) recusat, quoniam in tali animo vim quidem morbosam suspicari iam licet, ipse morbus adhuc abest. Cum sano autem corpore imbecillum animum si comparaveris, in aliam difficultatem praiceps ibis: misericors enim animus e. g. secundum eam sententiam similis esse dicetur corpori sano, id est auctore Posidonio ei corpori, quod quamvis aegrum non sit, morbo tamen quolibet tempore corripitur: at hominem misericordem, quippe cui ad miserendum proclivis sit animus, aliorum miseria levi de causa crebro commoveri constat; corpus sanum, ut immortale non sit, nisi gravioribus morbis non afficitur graviter.

Tertium denique huius rei apud Nemesium<sup>2)</sup> exstat iudicium (*De nat. hom.* c. 19):

„Ἐλεος δὲ λύπη ἐπ’ ἀλλοτρίοις κακοῖς · πᾶσα δὲ λύπη κακὸν τῇ ἑαυτῆς φύσει · εἰ γὰρ καὶ ὁ σπουδαῖος λυπηθῆσεται ποτὲ χρηστῶν ἀνδρῶν διαφθορομένων ἢ τέκνων ἢ πόλεως πορθουμένης, ἀλλ’ οὐ προηγουμένως· οὐδὲ

<sup>1)</sup> Gal. p. 408 M: „Οὐκ οὖν ὀρθῶς εἰκάζεσθαι φησὶ ὑπὸ τοῦ Χρυσίππου τὴν μὲν ὑγίειαν τῆς ψυχῆς τῇ τοῦ σώματος ὑγείᾳ, τὴν δὲ νόσον τῇ βλάβῃ εἰς νόσημα ἐπιπτώσει καταστάσει τοῦ σώματος· ἀπαθῆ μὲν γὰρ γίνεσθαι ψυχὴν τὴν τοῦ σοφοῦ δηλονότι, σῶμα δὲ οὐδὲν ὑπάρχειν ἀπαθές.” Cf. Schmekel p. 278. 3. Etiam Cic. *Tusc.* IV 14. 31.

<sup>2)</sup> De Nemesio Posidonii interprete vid. W. von Christ, *Gesch. d. Griech. Litt.* ed. 6. 1924, II<sup>2</sup> p. 1488.

κατὰ πρόθεσιν, ἀλλὰ κατὰ περίστασιν· καὶ ἐν τούτοις δὲ ὁ μὲν θεωρητικὸς ἀπαθῆς ἔσται παντάπασιν ἀλλοτριώσας ἑαυτὸν τῶν τῆδε καὶ συνάψας θεῶ· ὁ δὲ σπουδαῖος μετριοπαθῆς ἐν αὐταῖς καὶ οὐχ ὑπερβάλλων οὐδὲ αἰχμαλωτιζόμενος ὑπ' αὐτῶν, ἀλλὰ μᾶλλον κρατῶν αὐτῶν.”

Ubique a Stoicis veteribus σπουδαῖος vocatur sapiens; is autem misericordia non commovetur, propterea quod nemo misericors sit nisi stultus et levis. <sup>1)</sup> Apud Nemesium tamen vir bonus (σπουδαῖος) moderatus est in affectibus, ita, ut neque vincat eos neque captivus eorum sit, at satis superior.

Cuncta mecum reputanti misericordiae quoque doctrina discrepare nonnihil ab antiquis mihi videtur Posidonius; quamquam plura statuere non licet. <sup>2)</sup>

### C. Cicero.

Romanorum, quibus philosophiae Stoicae traditas reliquias debemus, princeps est Cicero. Postquam enim alii philosophis Graecis sapientiam suam Romanis communicandi copiam fecerunt, Cicero quae a doctis illis viris grato animo acceperat, erudiendi populi sui numquam incuriosus, latina vertit lingua. Eo accidit, ut amissis plurimorum auctorum scriptis exiguum certe partem eorum cognoscere ac quasi restaurare possimus.

Ciceronis opera factum est, ut Panaetii ac Posidonii praecepta apud Romanos melius pernotescerent paulatim, utque omnino rectius de philosophia graeca Romae iudicaretur. Ceterum et ipse aliquatenus Stoicorum sectae studebat, saepiusque in operibus eius occurrunt eorum laudes. Difficile nihilominus est de ipsius sententia statuere plura, siquidem multa e Stoicorum refert operibus, raro autem certae opinioni palam assentitur. Atenim, etsi de Ciceronis fontibus minime convenit inter doctos viros, <sup>3)</sup> ut universum ac

<sup>1)</sup> Cic. p. Mur. 29. 61.

<sup>2)</sup> cf. infra, p. 30.

<sup>3)</sup> De hac re quae prodierunt enumerat Schanz-Hosius, *Gesch. d. Röm. Litt.* ed. 4. 1927, I. p. 507; cf. etiam K. Sprey, *De M. Tullii Ciceronis politica doctrina*, diss. Amstelod. 1928; R. Philippson, *Das dritte und vierte Buch der Tusculanen*, *Hermes* 67 (1932), p. 245 sqq.; Ph. Finger, *Die drei Grundlegungen des Rechts im 1. Buche von Ciceros Schrift de Legibus*, *Rh. Mus.* 81 (1932), p. 155 sqq. et 243 sqq.

Tusculanarum libros III et IV ope compendii stoici compositos esse putat



unum eius opinionum dare conspectum non possimus, aliquanti tamen momenti sunt habenda oratoris enuntiata illius utpote viri summa auctoritate praediti. Sed testimonia inspiciamus.

Nota misericordiae definitio legitur *Tusc.* IV. 18 (= *de Fin.* IV. 8. 18):

„Misericordia est aegritudo animi ex miseria alterius iniuria laborantis. <sup>1)</sup> Nemo enim parricidae aut proditoris supplicio misericordia commovetur.” Alia misericordiae genera exstare posse hoc quidem loco Ciceronem fugisse videtur; de iudicis enim misericordia agitur praesertim. Ceterum a plerisque Stoicis iudicis imprimis misericordia abominanda putatur. <sup>2)</sup>

Eiusdem persuasionis specimen habemus *Tusc.* IV. 19. 43, quo loco in Peripateticos, quorum doctrinam mollem et enervatam putandam esse censet, his verbis invehitur:

„Quid, quod idem Peripatetici perturbationes istas, quas nos extirpandas putamus, non modo naturalis esse dicunt, sed etiam utiliter a natura datas?” Et paulo infra (§ 45):

„Ipsam aegritudinem, quam nos ut taetram et immanem beluam fugiendam diximus, non sine magna utilitate a natura dicunt constitutam, ut homines castigationibus, reprehensionibus, ignominiis affici se in delicto dolerent. Impunitas enim peccatorum data videtur eis, qui ignominiam et infamiam ferunt sine dolore; morderi melius est conscientia.” Atque ita pergit (§ 46):

„Reliquas quoque partis <sup>3)</sup> aegritudinis utilis esse dicunt, *miseri-*  
*cordiam* ad opem ferendam et calamitates hominum indignorum sublevandas.”

Cicero quoque, ut postea Seneca, non propter dolorem vel calamitatem, sed quia virtute, „sola quae possit facere et servare beatum”, carent, miseros interdum vocat homines; cf. *de Leg.* I. 19. 51 <sup>4)</sup> (virtus natura sua discernitur, non opinione; perinde vitium):

Ioh. van Arnim, *Stoicorum veterum fragmenta*, Lips. 1921, p. XX, sqq. E stoico fonte, qui Chrysippum contra Posidonium defendere studeret, hausisse Ciceronem censet R. Philippson, l.l. p. 276 sqq.

<sup>1)</sup> Cf. supra, p. 13.

<sup>2)</sup> Supra, p. 16.

<sup>3)</sup> Ἐξδῆ λύπης.

<sup>4)</sup> De Legibus librum I exemplo libri III de Republica e Stoico quodam Carneadem refellente desumptum esse probat K. Sprey, l.l. p. 23—34; cf. Schmekel, *Die Philos. d. mittl. Stoa*, I. p. 55.

„Quid ergo? Eos, qui singulis vitiis excellunt, aut etiam pluribus, propter damna aut detrimenta aut cruciatus aliquos miseros esse dicimus, an propter vim turpitudinemque vitiorum?”

Hoc tamen loco vocabulum „miseros” ironice adhibitum esse mihi persuasi, cum credere non possim Ciceronem eiusmodi miseros videntem animi quadam aegritudine correptum fuisse. Accedit, quod iniuria laborare, qui parum in virtute profecerint, auctor noster vixdum putaverit.

Nec tamen per totam vitam hanc opinionem professus est Cicero. Anno 63 L. Murenæ ambitus accusati defensionem susceperat. Accusator erat inter alios M. Cato, vir honestus ac iustus, quem doctrina Stoica valde imbutum esse Cicero non ignorabat. Offendere animum Catonis, viri tam nobilis, veritus haud illepide magistro eius Zenoni imputat, quaecumque in adversario reprehendit, imprimis severitatem nimiam. Atque ita loquitur:

„Fuit enim quidam summo ingenio vir, Zeno, cuius inventorum aemuli Stoici nominantur. Huius sententiae sunt et praecepta eiusmodi: sapientem gratia numquam moveri, numquam cuiusquam delicto ignoscere: neminem misericordem esse nisi stultum et levem;” e. q. s. (*pro Mur.* 29. 61).

Quaeritur num haberet Cicero cur adversarii tristitiam maiorem vero depingeret. Vehementia enim ac fortasse vehementiora sunt eius verba; nam pergit, ut nos credituros sperat, stoice (§ 62): „Supplices aliqui veniunt, miseri et calamitosi? Sceleratus et nefarius fueris, si quicquam misericordia adductus feceris. Fatetur aliquis se peccasse, et eius delicti veniam petit? Nefarium est facinus ignoscere.” Et paulo infra (ironice): „exorari, scelus; misereri, flagitium.”

Tum stoicae disciplinae opponit, quae docent Academici et Peripatetici (§ 63): „viri boni esse misereri, esse apud hominem constantem ignoscendi locum.” Medium denique iter suadet iudicibus; oppositis inter se sententiis refert (§ 65): „Nihil ignoveris. Immo aliquid, non omnia. Nihil gratiae causa feceris. Immo resistito gratiae, cum officium et fides postulabit. Misericordia commotus ne sis. Etiam, in dissolvenda severitate: sed tamen est laus aliqua humanitatis.”

Haec omnia mira videantur. Ne tamen obliviscamur defensionem habere Ciceronem, cuius ante omnia est consilium liberare periculo

reum. Nam misericordiam non solum ab accusatore postulat, etiam a iudicibus<sup>1)</sup>: (§ 90 ubi de poena exilii agitur):

„In ea porro provincia (Gallia Transalpina sc.), quo animo C. Murenam, fratrem suum aspiciet? Qui huius dolor? . . . . Quae si acerba, si misera, si luctuosa sint, si alienissima a mansuetudine et misericordia vestra, iudices: conservate populi Romani beneficium: reddite rei publicae consulem.”<sup>2)</sup> Quae patroni quidem sunt, non philosophi.

Iam alia res digna memoratu videtur: Qua de causa Cicero redarguens Stoicorum iudicia severiora praecipue Academicorum Peripateticorumque auxilium invocat? Etenim si re vera Stoici mediis duritiae huius remisissent nonnihil, eorum placitis meliore iure usus esset profecto; Rhodi enim ipsum Posidonium audiverat. Unde apparet utique non multum hos ab antiquis differre potuisse.<sup>3)</sup>

Ceterum senex demum totus in philosophiae studium incubuit Cicero eumque tum vero harum omnium rerum rationem sibi dedisse veri simile est. Itaque quae scripsit otiosus potius quam quae dixit occupatus verum eius animi simulacrum nobis praebere videntur. Et quia cum misericordiae opinione cohaerere solet, quam de dolore tolerando quis habeat sententiam, deficientibus ipsius misericordiae exemplis ad alia illa refugiamus.

Veterum liceat Stoicorum memorare dictum illud: dolorem non esse malum; quo significare sine dubio voluerunt doloris sensum neque animo neque virtuti nocere posse. Eius rei argumenta a Stoicis plurima sunt conquisita, quae parum momenti ad rem afferre existimat Cicero, qui *Tusc.* II. 12. 29 (interlocutore Zenone) haec dicit:

„Desine id me docere: hoc doce, doleam necne doleam, nihil interesse. — Numquam quicquam, inquit, ad beate quidem vivendum, quod est in una virtute positum: sed est tamen reiciendum. — Cur? — Asperum est, contra naturam, difficile perpersu, triste, durum.”

<sup>1)</sup> Similia (non eadem, vide infra p. 73 sqq.) Seneca, *de Ira* II. 17. 1: „Et apud iudices et in contione et ubicumque alieni animi ad nostrum arbitrium agendi sunt, modo iram, modo metum, modo misericordiam, ut aliis incutiamus, ipsi simulabimus, et saepe id, quod veri affectus non effecissent, efficiet imitatio affectuum.”

<sup>2)</sup> Cf. §§ 86 et 87.

<sup>3)</sup> Cf. supra, p. 22—27.

Quamquam igitur vera virtus dolore non dissolvitur nec extenuatur, naturaeque convenienter viventibus nihil minari potest, tamen a Zenone, quod contra naturam sit, reicitur dolor. Iure profecto; nam quod naturae animi integrae nullo modo obstat, id naturale esse necessario non debet.

Pergit autem ironice Cicero his verbis: „Haec est copia verborum, quod omnes uno verbo malum appellamus, id tot modis posse dicere.” Et paulo infra Zenoni asseveranti nihil bonum esse nisi quod honestum sit respondet (13. 30): „Illud et melius et verius, omnia, quae natura aspernetur in malis esse, quae adsciscit, in bonis. Hoc posito et verborum concertatione sublata tantum tamen excellet illud, quod recte amplexantur isti, quod honestum, quod rectum, quod decorum appellamus, quod idem interdum virtutis nomine amplectimur, ut omnia praeterea, quae bona corporis et fortunae putantur, perexigua et minuta videantur, ne malum quidem ullum, nec si in unum locum collata omnia sint cum turpitudinis malo comparanda. *Quare si, ut initio concessisti, turpitudine peius est quam dolor, nihil est plane dolor.* Nam dum tibi turpe nec dignum viro videbitur gemere, eiulare, lamentari, frangi, debilitari dolore, dum honestas, dum dignitas, dum decus aderit, tuque in ea intuens te continebis, cedit profecto virtuti dolor et animi inductione languescet.”

Evitemus igitur dolorem propter turpes actiones, quibus continetur. Hoc est quod crebro nobis praecipit Cicero; minus tetricus quam fuit Zeno, ostentationes quidem doloris evitandas esse docet, ipsum dolorem turbare hominem posse non negat. Cf. *Tusc.* II. 14. 33:

„Non ego dolorem dolorem esse nego: cur enim fortitudo desideraretur? — Sed eum opprimi dico patientia; si nulla est, quid exornamus philosophiam aut quid eius nomine gloriosi sumus? Pungit dolor, vel fodiat sane: si nudus es, da iugulum; sin tectus Volcaniis armis, id est fortitudine, resiste!” — Item *Tusc.* II. 7. 18:

„Ego a te non postulo, ut dolorem eisdem verbis afficias, quibus voluptatem Epicurus, homo, ut scis, voluptarius. Ille dixerit sane idem in Phalaridis tauro, quod si esset in lectulo; ego tantam vim non tribuo sapientiae contra dolorem. Si fortis est in perferendo, officio satis est; ut laetetur etiam, non postulo. Tristis enim res est sine dubio, aspera, amara, inimica naturae, ad patiendum tolerandumque difficilis.”

Nulla, ut apparet, misericordiae vestigia.

Huc etiam pertinet, quod legimus *De Rep.* III. 25. 37: <sup>1)</sup> „Sed et imperandi et serviendi sunt dissimilitudines cognoscendae. Nam ut animus corpori dicitur imperare, dicitur etiam libidini, sed corpori ut rex civibus suis aut parens liberis, libidini autem ut servis dominus, quod eam coercet et frangit, sic regum, sic imperatorum, sic magistratum, sic patrum, sic populorum imperia civibus sociisque praesunt ut corporibus animus, domini autem servos ita fatigant, ut optima *pars* animi, id est sapientia, eiusdem animi vitiosas imbecillasque *partes*, ut libidines, ut iracundias, *ut perturbationes ceteras.*” (= Augustinus, *contra Iulianum Pelag.* IV. 12. 61). Ciceroni, ut Stoicis mediis, partes esse animi perturbationes persuasum est; quas corrigere debemus, non extirpare.

Inspicientibus autem *Tusc.* III. 34. 82 sqq. plura nobis liquent. Ibi enim dicitur non multum inter se differre varias aegritudinum species: „sed ad eundem fontem revertendum est, aegritudinem omnem procul abesse a sapiente, quod inanis sit, quod frustra suspiciatur, quod non natura exoriatur, sed iudicio, sed opinione, sed quadam invitatione ad dolendum, cum id decreverimus ita fieri oportere. <sup>2)</sup> Hoc detracto, *quod totum est voluntarium*, aegritudo erit sublata illa maerens, morsus tamen et contractiuncula quaedam animi relinquetur. *Hanc dicant esse naturalem, dum aegritudinis nomen absit grave,*” e. q. s. Paulo infra: „Sed ratio una omnium est aegritudinum, plura nomina. Nam et invidere aegritudinis est et aemulari et obrectare et *misereri*”, e. q. s.

Exiguam aegritudinis partem restare etiam Cicero sinit. At nonnisi perexiguam! Cf. *Tusc.* III. 6. 13, ubi contra Crantorem Academicum disputatur: „Nos autem audeamus non solum ramos amputare miseriarum, sed omnes radicum fibras evellere (sic!). Tamen aliquid relinquetur fortasse; ita sunt altae stirpes stultitiae; sed relinquetur id solum, *quod erit necessarium.*” <sup>3)</sup>

Evulsis autem radicum fibris quid restat? In oratore, ut opinor, quiddam: fibra scilicet oratoria. Nihilominus clarum erit Ciceronem ut minus severe quam veteres, ita maxima ex parte aegritudines, in quibus misericordiam, damnasae diserte.

<sup>1)</sup> cf. supra p. 28<sup>4</sup>.

<sup>2)</sup> cf. Posid. apud Gal. *De Plac. Hippocr. et Plat.* p. 375, M.

<sup>3)</sup> Huius loci fontem esse Chrysippum censet Philippson, l.l. p. 250.

## D. Cato.

Unus e Stoicis recentioribus erat M. Porcius Cato. Is prodita coniuratione Catilinae deprehensusque consciis in senatu Caesare adversante supplicium de captivis sumendum censuit. Utriusque oratoris verba exstant apud Sallustium, qui, Caesaris sectator ipse, Catonem dignis laudibus extulit, quamquam ab eius moribus satis multum abhorrebat. Quamobrem decus illud Stoicae philosophiae suis virtutibus aptum ostendisse posteritati Thucydidis imitatore[m] admiremur: talem collaudationem ab adversario conscriptam veritati congruere iure putare possumus.<sup>1)</sup>

Monuerat Caesar ne severius iudicarent patres. Huius sententiae latet causa: fortasse ipsius innocentia fuerit dubia; fortasse post caedem principum quorundam maiorem ceterorum insaniam timebat. Suaserat certe, ut bona publicarentur ipsique in vinculis per municipia haberentur. Quae vox Caesaris tam prompti alioquin ad agendum mira videtur, nec iniuria. Sed audiamus Sallustium Caesaris verba reddentem (§ 51):

„Omnis homines, patres conscripti, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet. Haud facile animus verum providet, ubi illa officiant, neque quisquam omnium lubricini simul et usui paruit.”

De rebus dubiis loquitur. Num vero dubia erat causa, quae agebatur? Minime: convicti erant rei. Quid tandem? Quo consilio hoc vocabulo utitur Caesar? Quia suarum ipsius partium utilitas atque salus postulant. Quia optimates popularesque suis ponderibus librari maxime intererat Caesaris. Eandem ob causam primo distinguit libidinem et usum (i. e. sensum et rationem), deinde iram et misericordiam. Attamen iram impugnat, misericordiam, aequae libidinosam ipso auctore, quasi silentio praeterit — revera toti orationi supponit!

Ultro exasperatur Cato sententiamque rogatus in Caesarem quam vehementissime invehitur. Monuerat Caesar ne severior adhiberetur poena. Contra monet Cato ne in viris tam malignis scelestisque temperarent irae, ne tales homines miserarentur (§ 52. 10):

„Non id agitur, bonis an malis moribus vivamus, neque quantum

<sup>1)</sup> Cf. Sall. *Cat.* 54.

aut quam magnificum imperium populi Romani sit, sed haec, quouiscumque modi videntur, nostra an nobiscum una hostium futura sint. Hic mihi quisquam mansuetudinem et misericordiam nominat. Iam pridem equidem nos vera vocabula rerum amisimus: quia bona aliena largiri liberalitas, malarum rerum audacia fortitudo vocatur, eo res publica in extremo sita est. Sint sane, quoniam ita se mores habent, liberales ex sociorum fortunis, sint misericordes in furibus aerarii: ne illi sanguinem nostrum largiantur, et, dum paucis sceleratis parcunt, bonos omnis perditum eant.”<sup>1)</sup>

Huius argumentationis vel haec est summa, quod Romani „vera vocabula rerum amiserint.” Unde apparet dolere Catonem temporum vice vocabulorum quoque significationes mutatas esse, ita ut nec iam sit liberalitas talis, qualis fuit olim, nec misericordia. His vocibus ad certas indicandas res usi erant maiores, et quidem liberalitate de eo, qui propria pecunia largiebatur, de alieni mali luctu misericordia. Atque duae nunc sunt res, quas probare vult patribus Stoicus ille severus. Altera haec est: puniendi sunt more maiorum detestabiles isti viri, qui omni misericordia carent ipsi; postulat civium salus, quae maximi momenti patribus semper esse debet. Nam: (ironice) „misereamini — deliquere homines adulescentuli per ambitionem — atque etiam armatos dimittatis: ne ista vobis *mansuetudo et misericordia*, si illi arma ceperint, in miseriam convortat” (52. 26).

Maius est alterum illud quippe quod non ad unum casum, verum ad totam vitam pertineat: misericordiam, qualem noverunt eam priores, alieni mali commiserationem (hoc vulgo significat) rem esse iniustam et minime civilem: „ne illi sanguinem nostrum largiantur et, dum *paucis* sceleratis parcunt, bonos *omnis* perditum eant” (52. 12).

Contra reos, contra Caesaris defensionem agunt verba Catonis; sed latius profecto vagantur, ad bonorum malorumque fines, quantum adhuc valeant illi apud genus humanum, progrediuntur. Iniuriae obnoxiam putat misericordiam; paucos multorum exitio servandos esse negat. Quibus non tantum saeculo morem gerere Catonem, sed suae esse illa vitae praecepta his praesertim verbis manifestum fit (57. 7.):

<sup>1)</sup> Cf. Sen. *De Clem.* I. 2. 2.

„Saepenumero, patres conscripti, multa verba in hoc ordine feci, saepe de luxuria atque avaritia nostrorum civium questus sum, multosque mortalis ea causa advorsos habeo. Qui mihi atque animo meo nullius umquam delicti gratiam fecissem, haud facile alterius lubidini male facta condonabam.” Num stoicae philosophiae elementa his verbis inclusa sint dubitare non licet: Catonem in privata quoque vita misericordiam sprevisse ex hoc loco statuere possumus.

---



### CAPUT III.

#### MISERICORDIAE ET CLEMENTIAE DEFINITIONES.

Dispicuisse veteribus Stoicis misericordiam capite primo demonstrare conatus sum. Cuius rei vel haec erat summa, quod auctoribus illis misericordia est animi aegritudo, quae a naturalibus motibus profecta his ipsis nimis indulgendo contrahitur; <sup>1)</sup> quod misericordiae causa habenda est malum alienum iniuria laborantis <sup>2)</sup>; quod denique misericordia, ut animi futilitas, in iudice praecipue vituperatur. <sup>3)</sup> Medios quoque stoicae doctrinae interpretes, quamvis rara et quasi caligine mersa sint eorum iudicia, misericordiae affectum damnasse pro certo habere nobis licet. Eis se adiungunt Cicero atque Cato, quorum alter tot Stoicorum operibus perlectis nullum misericordiae defensorem nominat, alter vir vere stoicus ab omnibus celebratur.

Conscripturo quid de hac re senserit Seneca nonnulla praefanda sunt mihi, quae quare hic ipse philosophus huius dissertationis argumentum sit, declarent. Primo enim tanta eius librorum multitudo nobis est tradita, ut etiam de misericordia non nullius momenti quaedam in iis occurrere verisimile sit. Deinde statuere ex usu fuerit utrum Seneca, cuius opiniones multis rebus a ceterorum Stoicorum placitis differunt, <sup>4)</sup> de re proposita idem atque ceteri iudicet necne. Tertio loco in eo, qui de Clementia agit, dialogo manifestam nobis ante oculos ponit misericordiam multis verbis clementiae eam opponens; unde plura fortasse de animi illa condicione concludere poterimus.

---

<sup>1)</sup> Vid. p. 12.

<sup>2)</sup> Vid. p. 13.

<sup>3)</sup> Vid. p. 16.

<sup>4)</sup> Vid. A. Bonhöffer, *Epictet und die Stoa*, p. 92.

Magni profecto esset momenti, si totius philosophiae annaeanae cursum consequi nobis liceret ita, ut cunctis doctrinae principiis ordine dispositis misericordiae quoque sponte suus obtingeret locus. Nam ubi totum disputatione continua tractatur, quotiens oportet, etiam singulas res tenemus. Ubi autem doctrinae alicuius fundamenta quaedam ab auctore passim dispersa sunt, ad certum finem iuxta alia prorsus diversa ductura, nobis incerta manent singula.

De affectibus nihilominus nonnulla iudicia habemus, e quibus apparet eius certe rei rationem sibi dedisse moralis philosophiae propugnatorem illum. Ad haec illustranda apte conferuntur:

*Ep.* 75. 10—14: „Quidam hoc proficientium genus, de quo locutus sum, ita complectuntur, ut illos dicant iam effugisse morbos animi, affectus nondum, et adhuc in lubrico stare, quia nemo sit extra periculum malitiae, nisi qui totam eam excussit: nemo autem illam excussit, nisi qui pro illa sapientiam adsumpsit. Quid inter morbos animi intersit et affectus, saepe iam dixi. Nunc quoque te admonebo: *morbi* sunt inveterata vitia et dura, ut avaritia, ut ambitio: nimio artius haec animum implicuerunt et perpetua eius mala esse coeperunt. Ut breviter finiam, morbus est iudicium in pravo pertinax, tamquam valde expetenda sint, quae leviter expetenda sunt, vel, si mavis, ita finiamus: nimis imminere leviter petendis vel ex toto non petendis, aut in magno pretio habere in aliquo habenda vel in nullo. *Affectus* sunt motus animi improbabilis, subiti et concitati, qui frequentes neglectique fecere morbum, sicut destillatio una nec adhuc in morem adducta tussim facit, assidua et vetus phthisim. Itaque qui plurimum profecere, extra morbos sunt, affectus adhuc sentiunt perfecto proximi. Secundum genus est eorum qui et maxima animi mala et affectus deposuerunt, sed ita, ut non sit illis securitatis suae certa possessio: possunt enim in eadem relabi. Tertium illud genus extra multa et magna vitia est, sed non extra omnia. Effugit avaritiam, sed viam adhuc sentit: iam non sollicitatur libidine, etiamnunc ambitione: iam non concupiscit, sed adhuc timet, et in ipso metu ad quaedam satis firmus est, quibusdam cedit; mortem contemnit, dolorem reformidat.”

Haec disputatio, quae, quid sit affectus auctore Seneca, tractat, cunctos complectitur affectus; quomodo autem nascatur affectus,

qui „De Ira” intitulantur describunt libri; quibus, ut res fert, unus solus comprehenditur affectus.<sup>1)</sup> Ceterum, quoniam a Seneca quoque animi perturbatio habetur misericordia<sup>2)</sup>, quae de ira sunt dicta, in misericordiam haud minore transferuntur iure<sup>3)</sup>; quin etiam his locis de ipsa nonnumquam misericordia agitur.

*De Ira* II. 1. 5. haec legimus: „Ille (sc. qui sine voluntate nostra concitatur impetus) simplex est, — hic (irae impetus sc.) compositus et plura continens; intellexit aliquid, indignatus est, damnavit, ulciscitur: haec non possunt fieri, nisi animus eis, quibus tangebatur, adsensus est.”

II. 2. 1: „Nam si invitis nobis nascitur, numquam rationi succumbet. Omnes enim motus, qui non voluntate nostra fiunt, invicti et inevitabiles sunt” (sequuntur exempla). (2) „Ira praeceptis fugatur; est enim voluntarium animi vitium, non ex his, quae condicione quadam humanae sortis eveniunt, ideoque etiam sapientissimis accidunt, inter quae et *primus ille ictus animi* ponendus est, qui nos post opinionem iniuriae movet” (e. g. inter ludicrum scaenae spectaculum). (5) „inde est quod adridemus ridentibus et *contristat nos turba maerentium* et effervescimus ad aliena certamina. Quae non sunt irae, *non magis quam tristitia est*, quae ad conspectum mimici naufragii contrahit frontem, non magis quam timor, qui Hannibale post Cannas moenia circumsedente lectoris percurrit animos; sed omnia ista *motus sunt animorum moveri nolentium*, nec affectus, sed principia proludentia affectibus.”

Interesse inter voluntarium motum atque non voluntarium Seneca demonstrare conatur: voluntarius appellatur is motus, cui assentitur homo, quamobrem affectus nascitur.<sup>4)</sup> Sunt tamen motus quidam, quos evitare ne sapiens quidem possit; quibus etiamsi assentiri recusemus, at certe movemur. Sicuti vero nec turba maerentium contristari tristitia est nec in theatro ad ludicrum frontem contrahere, ita motus illi affectus non sunt, quia non voluntate

<sup>1)</sup> Iram inter affectus numerant Stoici; cf. Sen. *De Ira* I. 1; 9. 4; II. 12. 6; Stob. *Ecl.* II. 91. 10; Andron. *περὶ παθῶν* 4; Lact. *De Ira* C. 18; Bonhöffer I. p. 265.

<sup>2)</sup> Aegritudo enim animi vocatur *De Clem.* II. 5. 3.

<sup>3)</sup> Cf. *De Ira* I. 17, ubi tam instabilis dicitur ira, ut vel misericordia fugari possit.

<sup>4)</sup> Cf. *De Ira* II. 3. 1. „Affectus est, non ad oblatas rerum species moveri, sed permittere se illis, et hunc fortuitum motum prosequi.” Vid. supra p. 12.

nostra fit, ut moveamur; virtutique non repugnant, quoniam inevitabiles sunt.<sup>1)</sup>

Pergit Seneca (II. 4.): „Et ut scias, quemadmodum incipiant affectus aut crescant aut efferantur, est primus motus non voluntarius, quasi praeparatio affectus et quaedam comminatio; alter cum voluntate non contumaci, tamquam oporteat me vindicari, cum laesus sim, aut oporteat hunc poenas dare, cum scelus fecerit; tertius motus est iam impotens, qui non, si oportet, ulcisci vult, sed utique, qui rationem evicit. Primum illum animi ictum effugere ratione non possumus, sicut ne illa quidem, quae diximus accidere corporibus, ne nos oscitatio aliena sollicitet, ne oculi ad intimationem subitam digitorum comprimantur: ista non potest ratio vincere, consuetudo fortasse et assidua observatio extenuat. Alter ille motus, qui iudicio nascitur<sup>2)</sup>, iudicio tollitur.” (Lacunam statuerunt Lipsius, Gertz; iure: deest tertii motus descriptio).

Non iam dubium videtur, quin tum vero incipiat ea animi condicio, quam affectum dicit Seneca, cum motum non voluntarium rationis assensio secuta sit. Haud tamen semper fit, ut ictui non voluntario ratio assentiatur, qua de causa sequitur: „ut scias quemadmodum incipiant affectus *aut* crescant *aut* efferantur”: evenire possunt tria: affectus incipit solum; affectus incipit idemque crescit; affectus incipit, crescit, effertur.

Assensionis autem signum evidens est cogitatio haec: oboedire me illi, quo auferor, impetui oportet; non est resistendum nec repugnandum; vel, ut dicit Seneca, inest in nobis irascentibus „voluntas non contumax, tamquam *oporteat* me vindicari, cum laesus sim, aut *oporteat* hunc poenas dare, cum scelus fecerit.” Discerni igitur atque distineri praecipue debent primus motus et secundus. Tertius enim a secundo gradu tantum differt: tum affectus vehemens factus ratione revocari nequit, „iudicio non iam tollitur”, quia vires eius in maius creverunt. Usque eo progressus affectus

<sup>1)</sup> Ceterum cavendum est ne nimis multos inevitabiles ducamus motus; sed ipsa doctrina stoica hac in re libertatem quandam permittere solet. Cf. etiam Bonhöffer I. p. 308, sq.

<sup>2)</sup> Hoc ipsum probat vix fieri posse ut talia sumpta sint ex operibus Posidonii, ut qui iudicium perturbationis causam esse negarit. Cf. etiam S. Rubin, *Die Ethik Senecas in ihrem Verhältnis zur älteren und mittleren Stoa*, Diss. Bern, Nördlingen 1901, p. 25 sq. Contra: K. Reinhardt, *Poseidonios*, p. 321.

non „si oportet”, grassatur, sed „utique”, id est etiamsi non oportet. <sup>1)</sup> Ceteras omnes affectuum species praeter non voluntarium illum ictum a philosopho nostro damnatas esse e tribus, qui „De Ira” intitulantur, libris identidem apparet.

Secundum quoque argumentum a Seneca allatum de ira quidem adhibetur, sed ad affectus omnes pertinet. Ineptum ad agendum facit ira: (I. 17. 3.) „Quid, quod ad actiones quoque, in quibus solis opera iracundiae videtur necessaria, multo per se ratio fortior est? Nam cum iudicavit aliquid faciendum, in eo perseverat; nihil enim melius inventura est se ipsa, quo mutetur: ideo stat semel constitutis. *Iram saepe misericordia retro egit*: habet enim non solidum robur, sed vanum tumorem, violentisque principiis utitur.” Etiam paulo infra (§ 5): „Incipit magno impetu, deinde deficit

<sup>1)</sup> Simile dictum invenimus apud Gal. *De Plac. Hipp. et Plat.* p. 402 (p. 375 Müller), ubi de cupiditate agitur. Reicitur Chryssippi sententia, hominem cupidum „μὴ μόνον ἀποστρέφεσθαι τὸν λόγον ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις, ἀλλὰ καὶ προσυπολαμβάνειν, ὅτι, εἰ καὶ μὴ συμφέρον ἐστὶ, καὶ οὕτως ἐκτέον.” Quae non recte interpretatus est K. Reinhardt, *Poseidonios*, p. 288 sq. qui inter alia dicit haec: „Die Abkehr von der Vernunft ist Zeichen des Affektes nach Poseidonios ebenso wie nach Chrysipp; nur daß die Ursache der Abkehr etwas in der Vorstellung befindliches, Intellektuelles sein könne, bestreitet und widerlegt er. Die Größe eines vorgestellten Gutes oder Übels als Ursache eines Affektes zu betrachten wäre möglich doch nur — um von allem anderen abzu- sehen —, wenn diese, gleichviel wie sehr irrige und unsinnige Vorstellung in jedem Leidenschaftlichen klar vorhanden wäre. Nun aber läßt sich oft genug das gerade Gegenteil bemerken: daß der Leidenschaftliche sich klar bewußt ist, seinem eigenen Untergang entgegenzutreiben.” Interest vero inter „non utile” et „inutile” (i. e. damnosum fere); „non utile” negat utilitatem, ut Gell. *N. A.* praef. § 13: cogniti non utilia; „inutile” contrarium est utilitati, cf. Sen. *Ep.* 85. 9: „Falsa est ista mediocritas (Peripateticorum sc.) et inutilis, eodem loco habenda, quo si quis diceret modice insaniendum, modice aegrotandum.” Stob. *Ecl.* II. p. 69. 11, W.: „πάντα δὲ τὰγαθὰ ὠφέλιμα εἶναι καὶ εὐχρηστα καὶ συμφέροντα . . . τὰ δὲ κακὰ ἐκ τῶν ἐναντίων πάντα βλαβερά καὶ δύσχρηστα καὶ ἀσύμφορα. . . .” Utriusque notionis quid sit proprium, demonstrat Thuc. I. 32. 1: „Δίκαιον <τοὺς ἐπικουρίας δεησομένους> ἀναδίδαξαι πρῶτον, μάλιστα μὲν ὡς καὶ ξύμφορα δεόνται, εἰ δὲ μὴ, ὅτι γε οὐκ ἐπιζήμια.” Et paulo infra: „τετύχηγε δὲ τὸ αὐτὸ ἐπιτήδευμα . . . ἐς τὰ ἡμέτερα αὐτῶν ἐν τῷ πάροντι ἀξύμφορον.” Etiam Sen. *De Ira* I. 9, ubi primo nihil habere in se utile dicitur ira, deinde „tam inutilis animi minister quam miles, qui signum receptui neglegit.” Atque ita concludit: „hic erit utilis miles, qui scit parere consilio; adfectus quidem tam mali ministri quam duces sunt.”

Accedit quod apud Galenum verba εἰ καὶ μὴ συμφέρον tamquam ad spec- tatores adduntur.

ante tempus fatigata, et, quae nihil aliud quam crudelitatem ac nova genera poenarum versaverat, cum animadvertendum est, iam fracta lenisque est. Affectus cito cadit, aequalis est ratio." Ira, quia instabilis est nec diu durare solet, etiam quae animum ad actiones incitet idonea non habetur. Numquam non ratio fortior est nec cum semel agere coepit consilium mutat, sed usque perseverat. Quod autem additur, misericordiam saepe iram retro agere: vel ita hunc locum interpretari necesse est, ut etiam misericordia (radicitus evellendum animi vitium, ut e sequentibus crebro apparebit) iram interdum summoveat. Prorsus tamen alia sunt summovere atque evincere: etenim eo usque solum misericordia summovet ira, donec invicem ab ira summovetur. Nam misericordia perinde atque ira ceteraeque affectuum species instabilis et incerta manet, ratio sola certis immota principiis.

Mutabile illud dolori praecipue inesse dicitur.<sup>1)</sup> Dolor enim animus in aegritudinem incidit, quae est condicio animi dolore confecti. Huc misericordiam pertinere vel ex eo clarum erit, quod misericordiam speciem aegritudinis esse antea comperimus, qua in re Seneca cum antiquis consentit. Iam plura de perturbationum inconstantia affert *Ad Marc.* 7. 3.: „Ut scias autem non esse hoc naturale, luctibus frangi, primum magis feminas quam viros, magis barbaros quam placidae eruditaeque gentis homines, magis indoctos quam doctos eadem orbitas volnerat; atqui, quae a natura vim acceperunt, eandem in omnibus servant: *apparet non esse naturale, quod varium est.*" (Sequitur, quod ignis omnes urit, ferrum omnes secare potest). „Quare? quia vires illis a natura datae sunt, quae nihil in personam constituit. Paupertatem, luctum, ambitionem alius aliter sentit, prout illum consuetudo infecit; et imbecillum impatientemque reddit praesumpta opinio de non timendis terribilis." Quod varium est, idem esse naturale non potest; varium autem illud efficit opinio,

<sup>1)</sup> Cf. *ad Marc.* 8. 1.: „Deinde, quod naturale est, non decrescit mora; dolorem dies longa consumit." *Ep.* 63. 3.: „Quid ergo, inquis, obliviscar amici? — Brevem illi apud te memoriam promittis, si cum dolore mansura est: iam istam frontem ad risum quaelibet fortuita res transferet. Non differo in longius tempus, quo desiderium omne mulcetur, quo etiam acerrimi luctus residunt. Cum primum te observare desieris, imago ista tristitiae discedet: nunc ipse custodis dolorem tuum; sed custodienti quoque elabitur eoque citius, quo est acrior, desinit." Et § 12: „finem dolendi etiam qui consilio non fecerat, tempore invenit." Etiam de corporis dolore *Ep.* 78. 7.

qua fit ut hominum omnium alius aliter pro fortuita sui animi condicione dicat agatque; opinionibus igitur regi non naturale (παρὰ φύσιν) etiam Seneca auctore habendum est.

Tertium de affectibus iudicium nobis praebent ii loci, qui docent viro bono non licere rei utriusque, virtutis perturbationisque, partem eligere sibi. Primo necesse est affectum ex animo tollere, priusquam virtus recipiatur, „quoniam cum virtutibus vitia non coeant, nec magis quisquam eodem tempore et iratus potest esse et vir bonus quam aeger et sanus.”<sup>1)</sup> Deinde „affectus, si modicus esse potest, hoc dumtaxat moderatione consequetur, ut, quo minor fuerit, minus noceat: ergo modicus affectus nihil aliud quam malum modicum est.”<sup>2)</sup> Postremo semel admissa repente fines a ratione constitutas egreditur, quandoquidem „affectus tam mali ministri sunt quam duces.”<sup>3)</sup>

Tractatis iis locis, qui de notione, de initio, de mutabilitate, de necessitate funditus extirpandi affectus certiores nos faciunt, una relinquitur vox annaeana, cuius difficilior videtur interpretatio. *De Ira* I. 16. 7. haec scripta sunt: „sapiens > sentiet levem quandam tenuemque motum; nam, ut dicit Zeno, in sapientis quoque animo, etiam cum vulnus sanatum est, cicatrix manet. Sentiet itaque suspensiones quasdam et umbras affectuum; ipsis quidem carebit.” Praetermissis, quae iam antea tractatae sunt, partibus restat illa Zenonis de vulnere atque cicatrice metaphora. Cuius mea quidem sententia haec est significatio, quod etiam sapiens per totum vitae spatium subitis obnoxius manet ictibus, quoniam salva sapientia mortalis est homo. Huius enim rei nimis saepe sunt obliti stoicae philosophiae studiosi: sapientem aliis rebus cum dis posse comparari, quin etiam supra deos a nonnullis positum esse<sup>4)</sup> — mortalem nihilominus manere hominem, mortalibus ortum, geniturum mortales. Talis vitae condicio perturbationum quarundam initia necessario secum fert semperque feret, dum non machina adminiculo usi vivemus. Cicatrix illa signum est ipsius mortalitatis, quae in sapiente solitis fati resistit ictibus, quia vulnus, id est inclinatio

<sup>1)</sup> *De Ira* II. 12. 2.

<sup>2)</sup> *De Ira* I. 10. 4.

<sup>3)</sup> *De Ira* I. 9. 3.

<sup>4)</sup> Cf. *Ep.* 53. 11; 124. 14.; *De Prov.* 6. 6; Bonhöffer, *Die Ethik des Stoikers Epictet*, p. 115<sup>43</sup>.

ad affectus, sanatum est, — quae tamen repentina calamitate nonnumquam commovetur, quia omni carere sensu nequit. Itaque Bonhöffer <sup>1)</sup> errare mihi videtur, cum illos ictus motusque *quadam ex parte* tantum inevitabiles ducit, ita scilicet, ut sapienti prioris vitae temporis reliquiae sint, at non inevitabiles *omnino*, quod Stoici non negarint ullum hominem sine vitiis nasci posse. Ultimum hoc argumentum e silentio non multum fidei habet. At priora illa vera non sunt; cicatrix enim, ut e Zenonis verbis apparet, hoc loco non est signum sapientem vulneratum *esse* olim indicans, sed id potius illo verbo dicitur sapientem, ut hominem vivum, quoad vivat vulnerari *posse*; est enim signum mortalitatis. <sup>2)</sup>

Iure Rubin <sup>3)</sup> propter eas sententias, quae libris iram tractantibus proponuntur, Senecam, quod ad affectus pertineat, a veterum Stoicorum doctrina non abhorreere censet; diversa autem de sapiente iudicia protulisse eum, quoad diversorum ad ea auctorum operibus fuerit usus. <sup>4)</sup> Accedit, quod Stoicorum omnium consensu longum est iter, quod a stultitia ad sapientiam ducit. <sup>5)</sup> Ceterum Academicorum *μετριοπάθειαν* laudasse Senecam non credo: <sup>6)</sup> ut Crantoris de consolatione libro usus est (scilicet ut iam alia consolandi exempla inde sumeret), ita affectus, quantum sunt morbi per longius temporis spatium in animum se insinuantes, more stoico condemnavit. <sup>7)</sup> Atque perbene intellexit motus illos ictusque Stoicae sectae inimicis haud maiorem praebituros esse reprehendendi materiem quam affectuum patientiam ipsis Stoicis gloriam.

Nunc, cum satis comperimus, quid de affectibus Seneca senserit, statuendum est, quomodo misericordia clementiaque, quas imprimis

<sup>1)</sup> *Epictet und die Stoa*, p. 308, sq.

<sup>2)</sup> Cf. *Ep.* 85. 29: „*sensum* hominis nulla exiit virtus”. *Ep.* 72. 5.: „Aliquando extrinsecus, quo admoneatur mortalitatis (sapiens sc.), intervenit, sed id leve et quod summam cutem stringat. Aliquo, inquam, incommodo adflatur: maximum autem illud bonum fixum est.” *Ep.* 71. 29.: „Ne extra rerum naturam vagari virtus nostra videatur, et tremet sapiens et dolebit et expallescet: hi enim omnes corporis sensus sunt.” Etiam *Ep.* 99. 18. sqq.

<sup>3)</sup> S. Rubin, *Die Ethik Senecas e. q. s.*, p. 24/25.

<sup>4)</sup> S. Rubin, p. 46 et 52 sq.

<sup>5)</sup> S. Rubin, p. 55/56.

<sup>6)</sup> Cf. *Ep.* 85. 3 sqq., ubi eadem in Peripateticis vituperatur, qui „non tollunt affectus, sed temperant”. In primis tamen vid. *Ep.* 71. 17. sqq.

<sup>7)</sup> Contra Rubin, p. 49.



inter se comparatas esse a praeceptore Neronis iam ante <sup>1)</sup> diximus, ab eo definiantur. Quo facto diiudicare conabimur, qualis earum sit ratio, quaeque aliae notiones ad eius rationis perspicuitatem aliquid suppeditare possint. Ideo primo definitiones ordine certo enumerantur:

I. *De Clem.* II. 5. 4.:

„Misericordia est aegritudo animi ob alienarum miseriarum speciem.”

II. *De Clem.* II. 5. 4.:

„Misericordia est tristitia ex alienis malis contracta, quae accidere immerentibus credit.”

III. *De Clem.* II. 6. 4.:

„Misericordia vitium est animorum nimis miseria paventium, quam si quis a sapiente exigit, prope est, ut lamentationem exigat et alienis funeribus gemitus.”

IV. *De Clem.* II. 5. 1.:

„Misericordia est vitium pusilli animi ad speciem alienorum < malorum > succidentis.”

*ad I.* Prima definitio iis, quae apud Diogenem Laertium <sup>2)</sup>, Andronicum <sup>3)</sup>, Stobaeum <sup>4)</sup> occurrunt, definitionibus ferme similis est: appellatur enim misericordia species aegritudinis, cuius causa est malum alienum, quantum misericordiae quidem homini videtur. <sup>5)</sup> Deest tantum apud Senecam quod misericordia, quae alios opprimunt mala, indigna putare solet.

*ad II.* Quamobrem altera sequitur definitio, quae ad veterum doctrinae expressiones propius accedit. Duas has definitiones ad logicam pertinentes iam subinde comitatur contemplatio moralis, qua rursus manifestum fit Stoicos ceteris philosophiae partibus moralem partem praetulisse. „Aegritudo,” Seneca inquit, „in sapientem virum non cadit <sup>6)</sup>”; serena eius mens est, nec quicquam

<sup>1)</sup> p. 36.

<sup>2)</sup> Diog. La. VII. 111; cf. supra p. 12.

<sup>3)</sup> Andron. π. παρθών 2, Kr.; cf. supra p. 12.

<sup>4)</sup> Stob. *Ecl.* II. 92. 7, W.; cf. supra p. 12.

<sup>5)</sup> Cf. supra p. 13.

<sup>6)</sup> Cic. *Tusc.* III. 9. 20; cf. supra p. 15.

incidere potest, quod illum obducat." Aegritudine vel animi condicione aegra non corripitur sapiens ideoque „sapiens non miseretur, quia id sine miseria animi non fit,"<sup>1)</sup> atque paulo infra: „misericordia vicina est miseriae; habet enim aliquid trahitque ex ea."<sup>2)</sup> Additiones hae propterea maximi sunt momenti, quod demonstrant praecipue miseriam vel animi statum miserum a sapiente vitari oportere. Atque revera misera illa cordis condicio est, quae misericordiam Stoicis omnibus invisam reddit. Misere vivere, miseria confici, haec atque talia infra dignitatem humanam ducunt cum Stoici priores tum Seneca. Num adhuc mirum videtur illorum sententia miseriam ante omnia a sapiente esse contemnendam? Animi profecto miseria certum aegritudinis indicium est, aegritudo autem ut affectus species reiicienda. Unde consequitur Senecam duabus his logicis misericordiae definitionibus praecessorum vestigia pressisse continuoque quae inde sapientis proveniant officia aliqua-tenus ostendisse.

*ad III.* Ut ipsius moralis philosophiae partem definitio tertia (nec non quarta) proponit misericordiam. Quae aegritudo vocabatur prius, nunc factum est vitium.<sup>3)</sup> Vocabulum „nimis", quod totius definitionis moderationem quandam significare videtur, hoc utique probat maxime in his rebus in odio fuisse modum<sup>4)</sup> excessum. Quod ne valde miremur: persuasum erat Stoicis miseriam in sapientis animum admissam semel illius actionibus habituque ab aliis quoque facile animadverti posse; lamentari autem a sapiente prorsus esse alienum. E vocabulo „nimis" certo non licet nobis conicere eam solam damnari misericordiam, quae miseriam incutiat homini maiorem quam quae tolerari possit: omnis enim misericordia abominanda habetur.

*ad IV.* Haud multum novi nobis praebet quarta definitio, nisi quod pusilli animi vitium esse misericordiam asseverat. Iam Diogenes Laertius οὐδενείων<sup>5)</sup> eam dixerat ac Seneca quoque pusillum<sup>6)</sup>

<sup>1)</sup> *De Clem.* II. 6. 1.

<sup>2)</sup> *De Clem.* II. 6. 4.

<sup>3)</sup> Cf. *De Ira* II. 15.

<sup>4)</sup> *Supra* p. 11.

<sup>5)</sup> VII. 123, de quo loco vid. tamen *supra* p. 16.

<sup>6)</sup> De huius vocabuli usu cf. *De Clem.* I. 15. 5.: „Dicet aliquis: „Pusillo animo timuit".” *De Ben.* II. 27. 1.: „ingenii fuit sterilis, tam pusilli quam animi.” 34. 4.: „parcissimum hominem vocamus pusilli animi et contracti.”

vocat eum animum, qui ad speciem alienorum malorum non ipse corripit sese nec repugnat summis viribus, ut potius ope sua levet laborantem, sed succidit miseria victus.

Cum definitionibus arte coniuncta sunt, quae misericordiae in societate humana vim describunt. „Itaque pessimo cuique familiarissima est; anus et mulierculae sunt, quae lacrimis nocentissimorum moventur, quae, si liceret, carcerem effringerent.”<sup>1)</sup> Adnotare vix necesse erit anus illas et mulierculas pessimas non vocari, quia scelestae sint: inutiles omnino habentur deterrimaeque inter eos malos, qui alioquin a Stoicis stulti dicuntur. Eiusmodi enim homines sensibus solis ad actiones impelluntur, mentis tranquillae iudicio integro vel numquam usi. Qua de causa sequuntur haec: „misericordia non causam, sed fortunam spectat; clementia rationi accedit.”<sup>2)</sup>

Videtur mihi Seneca ab affectuum doctrina vetere profectus misericordiam intra certos fines coegisse ita, ut aegritudinis speciem ex aliorum malis indigne laborantium natam definierit eam addideritque quod aegritudo illa, cum miseri ac pusilli animi sit signum, evitari debeat.

Transeamus nunc ad clementiam<sup>3)</sup>, quomodo a Seneca definita sit, percepturi:

I. *De Clem.* II. 3.:

„Clementia est temperantia animi in potestate ulciscendi.”

II. *Ibidem*:

„Clementia est lenitas superioris adversus inferiorem in constituendis poenis.”

III. *Ibidem*:

„Clementia est inclinatio animi ad lenitatem in poena exigenda.”

IV. Interpretatio prioris:

„Clementia est moderatio aliquid ex merita ac debita poena remittens.”

<sup>1)</sup> *De Clem.* II. 5. 1.

<sup>2)</sup> De ultimis verbis vid. infra p. 99.

<sup>3)</sup> Cf. A. Elias, *De notione vocis clementia apud philosophos veteres et de fontibus Senecae librorum de clementia*, diss. Regimont. 1912.

*ad I.* „*Clementia est temperantia*”. Ex uno hoc verbo apparet clementiam inter affectus numquam posse numerari, quippe qui regi se non sinant. <sup>1)</sup> Immo temperantia est scientia earum rerum, quae tolerandae sunt quaeque non sunt quaeque neutri parti accedunt. <sup>2)</sup> Virtus etiam vocatur. <sup>3)</sup> Haud tamen in universum temperantiae assimilari potest clementia, cuius hoc est proprium, quod in potestate ulciscendi prodire solet; quae condicio in nulla non occurrit definitione, ut magnam ei attribuere vim iure possimus. Itaque clemens is est, qui, quamvis ulcisci possit, temperat ab ultione. Iam dictum erat ante: <sup>4)</sup> „haec (clementia sc.) est in maxima potestate verissima animi temperantia et humani generis [comprehendit aes sibi] <sup>5)</sup> amor: <sup>6)</sup> non cupiditate aliqua, non temeritate ingenii, non priorum principum exemplis corruptum, quantum sibi in cives suos liceat, experiendo temptare, sed hebetare aciem <sup>7)</sup> imperii”.

*ad II.* *Clementia est lenitas*: temperantia negat, excludit, lenitas praebet, affert aliquid: temperantia ad detractionem, lenitas ad positionem dicitur. Denuo autem intra certos fines includitur clementia verbis „superioris adversus inferiorem.” De iudice, cuius officii pars est poenas constituere, <sup>8)</sup> clementia talis adhiberi vix potest.

*ad III.* *Inclinatio animi* vocatur clementia, quod ea duce ad lenitatem adversus poena dignos inclinatur animus. Sponte profecto haec inclinatio fit nec impetu quodam affective provocatur; ratio sola eligere videtur. Propria haec definitio fuerit, cum a verbo „clinendi” originem ducat clementia. <sup>9)</sup> — Secunda et tertia definitiones ad philosophiae partem moralem spectant.

<sup>1)</sup> Cf. *De Ira* I. 9. 3.

<sup>2)</sup> Cf. Diog. La. VII. 92: „τὴν δὲ καρτερίαν ἐπιστήμην ἢ ἕξιν ὧν ἐμμενετέον καὶ μὴ καὶ οὐδετέρων.” (v. Arnim III. 65. 13).

<sup>3)</sup> Plut. *De Stoic. repugn.* 15 p. 1040 E (v. Arnim III. 8. 36.)

<sup>4)</sup> *De Clem.* I. 11. 2.

<sup>5)</sup> Adnotatiuncula forsitan alicuius divitias Senecam hoc adulandi genere sibi comparasse suspicantis. Cf. tamen Gertz, Préchac, Ammendola ad locum.

<sup>6)</sup> Φιλανθρωπίας, ut videtur, ad litteram versio. Nam etiam pro clementia adhiberi nonnunquam φιλανθρωπίαν ostendit Elias, I. l. p. 48, sqq. et 75.

<sup>7)</sup> I. e. potentia uti moderate.

<sup>8)</sup> Cf. *De Ira* I. 19. 2: „<Iudex>, cuius tunc maxime placidus esse debet et in statu vultus, cum magna pronuntiat.”

<sup>9)</sup> Cf. van Wageningen-Muller s. v. clemens. Etiam Boisacq, *Dict. Etym.* s. v. κλίω.

ad IV. Quarta definitio „contradictiones inveniet, quamvis maxime ad verum accedat”. Atque revera dubium videtur, num virtus dici possit, quae aliquid ex merita ac debita poena remittat. Minus enim debito se facere, ut ipse affirmat Seneca, nulla virtus profitebitur. „Atqui hoc omnes intellegunt clementiam esse, quae se flectit citra id, quod merito constitui posset.” Quod, quamquam intellectu non tam est facile, hoc tamen probat eius rei difficultates Senecam haudquaquam fugisse.<sup>1)</sup>

In summa statuere liceat clementiam *cum esse temperantiam tum lenitatem, quae in potestate*<sup>2)</sup> *ulciscendi aliquid ex merita*<sup>3)</sup> *poena remittat*. Senecae autem scripta etiam accuratius quid sit clementia scrutari nos sinunt. Opponitur enim clementia crudelitati, ut legimus *De Cl.* II. 4. 1: „Huic (clementiae sc.) contrariam inperiti putant severitatem; sed nulla virtus virtuti contraria est. Quid ergo opponitur clementiae? Crudelitas, quae nihil aliud est quam atrocitas animi in exigendis poenis.” Haec verba longiorem desiderant explicationem. Primo statuere velim duo vocabula, quae sint crudelitas et clementia, esse quodam sensu motiones, quae a certo medio profectae diversam prorsus ingrediantur viam. Quale sit illud medium, e sequentibus appareat. „Moveri” autem clementiam crudelitatemque neque certo ac immutabili stare loco constat collatis his locis duobus:

*De Cl.* I. 13. 4.: „<princeps clemens> *inclinatus* <est> ad mitiora, etiam si ex usu est animadvertere.”

*De Cl.* II. 4. 3.: „Possumus effugere cavillationem et ita finire, ut sit crudelitas *inclinatio* animi ad asperiora.”

Videamus nunc, quid de crudelitate praeter ea dicatur:

*De Ira* II. 5. 3.: „Origo huius mali (feritatis sc.) ab ira est, quae ubi frequenti exercitatione et satietate in oblivionem *clementiae* venit, et omne foedus humanum eiecit animo, novissime in *crudelitatem* transit.”

*De Ira* II. 13. 2.: „Facilis est ad beatam vitam via: inite modo bonis auspiciis ipsisque dis bene iuvantibus. Multo difficilius est

<sup>1)</sup> Plura de hac quaestione infra, p. 96 sqq.

<sup>2)</sup> Cf. I. 13. 4. „<Princeps> *inclinatus* ad mitiora, etiam, si ex usu est animadvertere.”

<sup>3)</sup> Cf. Liv. 28. 25. 13: (de quibusdam captivis) „Ut imperatoris (Scipionis sc.) vel iustae irae vel non desperandae clementiae sese committerent.”

facere ista, quae facitis! Quid est animi quiete otiosius, quid ira laboriosius? quid *clementia* remissius, quid *crudelitate* negotiosius?"

*De Cl.* I. 13. 3.: „Hoc enim inter cetera vel pessimum habet crudelitas: perseverandum est nec ad meliora patet regressus; scelera enim sceleribus tuenda sunt. Quid autem eo infelicius, cui iam esse malo necesse est? O miserabilem illum, sibi certe! nam ceteris misereri eius nefas sit, qui caedibus ac rapinis potentiam exercuit," e. q. s.

Itaque feritas, ab ira, i. e. a specie cupiditatis<sup>1)</sup>, originem ducens, quasi antecedit crudelitatem, quae tunc vero nascitur, cum ira exercitatione et satietate omnia humana proiecit; qua de causa crudelitatem speciem feritatis appellare licet. Porro crudelitas est negotiosa, otio caret — clementia contra remissa, labore vacans, libera. <sup>2)</sup> Hic quoque opponuntur inter se crudelitas atque clementia, vel potius quae utramque comitari solent. Postremo in crudelitate idem quod in omni affectuum genere inest: perseverandi necessitas. Ceterum licet verum quidem sit in universum virtutes affectibus opponi posse, non ideo e virtutibus una unicuique affectui iure opponitur; quin etiam ut duae inter se opponantur virtutes fieri potest. Ut minus obscure loquar: omnis virtus affectui omni quasi inimica est; sunt autem virtutes, quae adversus affectus pari odio inflammatae diversum tamen vel etiam oppositum petant finem, e. g. voluntas et cautio<sup>3)</sup>, quarum altera videlicet est permissa voluntas, altera permissa aversio. Eodem modo clementiae opposita est severitas: nam virtutes ambae oppositam defendunt causam: clementia poenae remittere studet aliquid, severitas addere. Utraque pari spatio distat a medio: iustitia.

Post crudelitatem definitam (II. 4. 3: crudelitas est inclinatio animi ad asperiora) sequitur: „Hanc clementiam repellit longius stare a se nam severitatem ille convenit." Quae codicum lectio<sup>4)</sup> tam mutilata sensum nihilominus satis clarum praebere mihi

<sup>1)</sup> Stob. *Ecl.* II. 91. 10; Diog. La. VII. 113; Andron. π. παθῶν 4; (v. Arnim III. 96).

<sup>2)</sup> Cf. *D. C.* II. 7. 3: „Clementia liberum arbitrium habet"; e. q. s.

<sup>3)</sup> Βούλησις et ἐλάβερα; cf. Cic. *Tusc.* IV. 12.

<sup>4)</sup> F. Préchac (*De la Clémence*, Paris, Soc. d'édition „Les Belles Lettres" 1921) legendum censet: hanc clementia repellit longe iussam stare a se; nam cum severitate illi convenit. H. Georgii (*Philol.* 1929, p. 114) proposuit: hanc

videtur<sup>1)</sup>: exstat quodammodo inter crudelitatem clementiamque fastidium, quale non exstat inter clementiam et severitatem, quae, ut dictum est ante<sup>2)</sup>, virtutes ex aequo habentur.

Quamvis, ut apparet, multis verbis laudetur clementia, tamen bene distinguendum esse nos monent nonnulla, quae inveniuntur *De Cl.* I. 2. 2., ubi, postquam innocentes quoque clementiam invocare nonnumquam commemoratum est multosque reverti ad innocentiam posse, si ignoscatur iis, ita pergit disputatio: „Non tamen volgo ignoscere decet; nam, ubi discrimen inter malos bonosque sublatum est, confusio sequitur et vitiorum eruptio; itaque adhibenda moderatio est, quae sanabilia ingenia distinguere a deploratis sciat. Nec promiscuam habere ac vulgarem clementiam oportet nec abscisam; *nam tam omnibus ignoscere crudelitas quam nulli.* Modum tenere debemus; sed quia difficile est temperamentum, *quidquid aequo plus futurum est, in partem humaniorem praeponderet.*”

Clementia, sicut omnes virtutes stoicae, modum tenet: hoc enim inter alia efficit, ut virtutis nomine digna sit. Cum tamen ad exigendam poenam attineat clementia cumque sententiae quaedam rescindi non possint, in re dubia severitas absit. Ceterum ne discrimen inter malos bonosque confundatur, cavendum erit. Nam clementia non, perinde ac crudelitas, finis est ultimus, verum fieri posset talis finis, si omnibus ignoscendo modum sibi impositum excederet. Quod si faceret, periculum esset ne nocendo bonis crudelitatis fieret similis.

Seneca postquam crudelitatem opposuit clementiae, periculum supra indicatum ostendit (II. 4. 4.): „Ad rem pertinet quaerere hoc

---

(crudelitatem sc.) clementia repellit et vult longius stare a se quam severitatem; illi convenit.

Quamdiu sub iudice lis est, proponere ausim hanc lectionem: „hanc (sc. *crudelitatem!*) clementia impellit longius stare a se; cum severitate illi (sc. clementiae) convenit”. Litterae i et m post vocabulum clementiam excidere facile potuerunt. Verbum impellendi sequitur infinitivus etiam his locis: Verg. *Aen.* I. 11; Liv. 22. 6. 6; Tac. *Ann.* VI. 45. Totius sententiae vel hoc est argumentum: utramque, clementiam nec non severitatem, suum habere ius. Recte Cic. *De Off.* I. 25. 88 confert G. Ammendola (*Della Clemenza*, Paravia, Torino, 1928, p. 94).

<sup>1)</sup> Cic. *De Off.* I. 25. 88, collatus ab Ammendola locus, solutionem praebet: „Et tamen ita probanda est mansuetudo atque clementia, ut adhibeatur rei publicae causa severitas, sine qua administrari civitas non potest.”

<sup>2)</sup> II. 4. 1.

loco, quid sit misericordia; plerique enim ut virtutem eam laudant et bonum hominem vocant misericordem. Et haec vitium animi est. *Utraque circa severitatem circaque clementiam posita sunt, quae vitare debemus: per speciem severitatis crudelitatem, per speciem clementiae misericordiam.*"<sup>1)</sup>

Videntur mihi sublatae esse difficultates; cuique vocabulo suus datus est locus. Exstat quoddam medium vel aequum: iustitia, quae omnis fundamentum est iuris. Raro tamen in iudiciis humanis illa sola valet. Plerumque aut huc aut illuc inclinatur, prout causa suadet: aut severitas adhibetur aut clementia, quarum haec in misericordiam, illa in crudelitatem mutari amat. Contraria igitur clementiae severitas, contraria crudelitati misericordia; clementia ad mitiora<sup>2)</sup> est animi inclinatio, misericordia ad molliora<sup>3)</sup>, severitas autem ad duriora<sup>4)</sup>, crudelitas ad asperiora<sup>5)</sup>.

Rectius denique severitatem quam crudelitatem opponi clementiae etiam docet *De Ira* II. 17. 2: „Languidus, inquit, animus est, qui ira caret.” — „Verum est, si nihil habet ira valentius. Nec latronem oportet esse nec praedam, *nec misericordem nec crudelem*: illius nimis mollis animus, huius nimis durus est, temperatus sit sapiens” e. q. s.

Artius definitis misericordia clementia severitate crudelitate proposito nostro convenit iustitiae quoque locum circumscribere nec non quomodo ad ipsam clementiam se habeat, statuere. Dicere enim clementiam non esse idem atque iustitiam haud supervacaneum fuerit, quandoquidem coniuncta videtur utriusque vocabuli significatio. Iustitia autem fit ut leges atque decreta pariter omnibus valeant, ut suum cuique tribuatur neve alius super alium extollatur, — clementia, ut minus severe quam expectare possint noxii innocentesque, agatur ab iis, quibus potestas summa solitumque egressa contigerit. Notanda autem sunt, quae occurrunt *D. C.* II. 3. 2.<sup>6)</sup> (clementiam dici posse inclinationem animi ad lenitatem in poena exigenda): „Illa finitio contradictiones inveniet, quamvis maxime ad verum accedat, si dixerimus clementiam esse modera-

<sup>1)</sup> Ita cod. T., cuius lectio servari potest, cf. Prêchac, l.l. p. 11. Sensus hic est: vitare nos oportet crudelitatem sub specie severitatis latentem, etc.

<sup>2)</sup> *D. C.* I. 13. 4.

<sup>3)</sup> *De Ira*, II. 17. 2.

<sup>4)</sup> *De Ira*, II. 17. 2.

<sup>5)</sup> *D. C.* II. 4. 3.

<sup>6)</sup> *Supra* p. 48.



tionem aliquid ex merita *ac debita* poena remittentem: reclamabitur nullam virtutem cuiquam minus debito facere. Atqui hoc omnes intellegunt clementiam esse, quae *se flectit citra id, quod merito constitui posset.*"<sup>1)</sup> Nemo, ut opinor, dubitarit, quin meritum illud ad iustitiam pertineat.<sup>2)</sup> Atque quo magis se flectit citra id, quod merito constitui posset vel quo plus e merito remittit clementia, eo longius a iustitia distare eam constat. Clementia se flectit, versatur, movetur. Motoriam, non statariam esse eam etiam apparet *D. C. II. 7. 3:* „Clementia liberum arbitrium habet: non sub formula, sed ex aequo et bono iudicat; et absolvere illi licet et, quanti vult, taxare litem." Formula hic idem est ac ius; omne autem ius integrum nititur iustitia. Clementiae bonum et aequum fundamenta sunt; quae fundamenta non aequae ac iuris in aere incisa sunt. Inter iustitiam, quae solam spectat causam, et misericordiam (quae non causam, sed fortunam spectat<sup>3)</sup>) versatur clementia, illam nimis aequam ducens, hanc nimis iniquam. Alteram quidem colere perseverat; in alteram ne incidat, cavet. Nam clementia ad mitiora mens *inclinat*, non praecipitatur. Attamen non ei satisfacit iustitia, ut quae ab aequo numquam abscedat.<sup>4)</sup> Clementiam principi commendant haec verba<sup>5)</sup>: „Temperatus enim timor cohibet animos, assiduus vero et acer et extrema admovens in audaciam iacentis excitat," nec non sequentia<sup>6)</sup>: „Relinquat oportet securi aliquid metus multoque plus spei quam periculorum ostendet." Iustitiam spei ac periculorum tantundem ostentare argumentis vixdum eget.

Reliqui sunt duo loci, qui clementiae iustitiaeque rationem perbene ostendunt. *Cons. ad. Pol. XIII. 2.* (de Claudio loquitur Seneca, exsul ipse): „Hic Germaniam pacet, Britanniam aperiat, et patrios triumphos ducat et novos: quorum me quoque spectatorem futurum, quae ex virtutibus primum obtinet locum, promittit *clementia.*

<sup>1)</sup> Cf. *D. C. I. 9.*

<sup>2)</sup> Cf. G. Ammendola l. l. ad *D. C. II. 3. 2.*: „quella virtù che nel punire si arresta a una sanzione più mite di quella, che secondo giustizia *potrebbe* fissare."

<sup>3)</sup> *D. C. II. 5. 1.*

<sup>4)</sup> De Tarii filio quod narratur *D. C. I. 15*, fortasse non est mera clementia: Pater qui filium sibi ipsi insidiantem exilio tantum punit nec interfici iubet, communis sanguinis vix fuerit oblitus. At summae *iustitiae* exemplum est, quod in consilio ut quisque scriptam daret sententiam petivit Augustus.

<sup>5)</sup> *D. C. I. 12. 4.*

<sup>6)</sup> *D. C. I. 12. 5.*

Nec enim sic me deiecit, ut nollet erigere, immo me deiecit quidem, sed impulsus fortuna et cadentem sustinuit et in praecipuum euntem leniter divinae manus usus *moderatione* deposuit: deprecatus est pro me senatum et vitam mihi non tantum dedit sed etiam petiit. Viderit: qualem volet esse, existimet causam meam; vel *iustitia* eius bonam perspiciat vel *clementia* faciat bonam;” e. q. s. Num clarius apparere potest iustitiam perspiciendo ac iudicando bonam appellare causam, clementiam inclinatione sua ad mitiora facere bonam? Iustitia id vult, quod bonum iudicat; clementia id bonum iudicat, quod vult.

Ut autem clementia plus spei quam periculi ostendat utque reo semper consultat, ita quae inter homines discrimina exstant, dissipat. „Multa illos (homines sc.) cogunt ad hanc confessionem (se felices esse sc.), qua nulla in homine tardior est: securitas alta, adfluens, ius supra omnem iniuriam positum; observatur oculis laetissima forma rei publicae, cui ad summam libertatem nihil deest nisi pereundi licentia. Praecipue tamen aequalis ad maximos imosque pervenit clementiae tuae admiratio; cetera enim bona pro portione fortunae suae quisque sentit aut exspectat maiora minoraque, ex clementia omnes idem sperant.”<sup>1)</sup> Itaque, ut iustitia, sic clementia a maximis imisque exspectatur, sed illa, non dico dissimilia valore, attamen diversa tribuit, haec eandem gratiam omnibus.

Iam altera vox a Seneca definiendae clementiae causa profertur: *venia*. De cuius usu quamquam saepius<sup>2)</sup> est scriptum, disserere de hac re hic quoque nonnulla velim, quae ex usu esse mihi videntur.

Veniae, ut opinor, tria<sup>3)</sup> in Senecae operibus inveniuntur genera, quae parum adhuc a doctis viris distincta sunt. Primum est genus, quo multis quidem ignoscitur nec tamen ex animi sententia. Venia enim tribuitur eiusmodi peccatis vitiisque, quibus nemo fere mortalis non careat. Exemplo sint quae leguntur *De Ira* III. 26. 3. sq., ubi, postquam allatis exemplis commune gentis vitium singulis obici non debere contendit, hoc modo pergit auctor: „Et ista, quae rettuli, unius regionis atque anguli consuetudo defendit: vide nunc,

<sup>1)</sup> D. C. I. 1. 8 sq.

<sup>2)</sup> Bonhöffer, *Die Ethik d. Stoikers Epictet*, p. 103 sqq.; Elias l.l. p. 35/36.

<sup>3)</sup> Bonhöffer, l.l., apud cunctos Stoicos duo distinguit veniae genera: cum sui ipsius aut cum ceterorum hominum causa puniendi ansam habent.

quanto in iis iustior venia sit, quae per totum genus humanum vulgata sunt. Omnes inconsulti et improvidi sumus, omnes incerti, queruli, ambitiosi: quid lenioribus verbis ulcus publicum abscondo? Omnes mali sumus;" e. q. s. Talis venia nonnisi necessitate coacta ignoscit. <sup>1)</sup>

Secundo veniae genere iis ignoscitur, quorum constantia, cum antea semper admirationem nostram moverit, deficiat subito <sup>2)</sup>, — iisve quibus irascimur: e quibus hi iure quodam puniri possent, si pronus esset ad ulciscendum irascentis animus. Sin clemens est ille, pro ultione veniam dat. Aptè conferatur: *De Ira* II. 23. 4: „... C. Caesar ille, qui victoria civili clementissime usus est; cum scrinia deprendisset epistularum ad Cn. Pompeium missarum ab iis, qui videbantur aut in diversis aut in neutris fuisse partibus, combussit. Quamvis moderate soleret irasci, maluit tamen non posse: „gratissimum putavit genus veniae nescire, quid quisque peccasset." Clementia, alioquin lenitas in exigendis poenis appellata, hoc loco indicat eam animi condicionem, quae non in exigendo, sed ante exigendi initium lenitatem exercet. Cuius condicionis venia quasi effectus <sup>3)</sup> est. Quam arte hae veniae clementiaeque formae coniunctae sint vel optime apparet *De Ira* II. 34. 2: „Illud quoque occurrat (nobis irascentibus sc.) quantum nobis commendationis allatura sit clementiae fama, quam multos venia amicos utiles fecerit." Etiam paulo infra: „cogitemus, quotiens ad ignoscendum difficiles erimus, an expediat nobis omnes inexorabiles esse: quam saepe veniam, qui negavit, petiit!" <sup>4)</sup>

Ab ultimo illo loco facilis est ad tertium veniae genus transitio: nam exorari sapienti, sicut iudici, Stoicorum doctrina non licet, <sup>5)</sup> veniamque *in exigendis poenis* adhibere vetat iustitia. Haec est venia, quae a veteribus iam erat Stoicis damnata teste Stobaeo *Ecl.* II. 7. (p. 95. 24W.) <sup>6)</sup>; „Φάσι μηδὲ συγγνώμην ἔχειν <μηδενὶ τὸν

<sup>1)</sup> Vid. etiam *De Ira* II. 10. 2—5; III. 27. 1—2, 28. 1; *D. C.* I. 6. 2.

<sup>2)</sup> *Ad Marc.* 4. 4.

<sup>3)</sup> Quamobrem veniam dare solemus.

<sup>4)</sup> Huc pertinet *De Ira* I. 19, (quem locum proximo generi inserit Bonhöffer, *II.* p. 104,) ubi legimus (§ 5, de hominibus iracundis eorumque iudiciis agitur): „Quorum nil facit, quisquis vacuus ira meritam cuique poenam iniungit. *Dimittet* saepe eum, cuius peccatum deprendit." e. q. s.

<sup>5)</sup> Cf. *Cic. p. Mur.* 29. 61; supra p. 13

<sup>6)</sup> v. Arnim III. 162. 35.

νοῦν ἔχοντα· τοῦ γὰρ αὐτοῦ συγγνώμην τε ἔχειν > καὶ νομίζειν τὸν ἡμαρτηκότα μὴ παρ' αὐτὸν ἡμαρτηκέναι, πάντων ἁμαρτανόντων παρὰ τὴν ἰδίαν κακίαν· διὸ καὶ δεόντως λέγεσθαι τὸ μηδὲ συγγνώμην ἔχειν τοῖς ἁμαρτάνουσιν.”

Hanc autem veniam ita definit Seneca <sup>1)</sup>: „Venia est poenae meritae remissio. Ei ignoscitur, qui puniri *debet*; sapiens autem nihil facit, quod non *debet*, nihil praetermittit, quod *debet*; itaque poenam, quam exigere *debet*, non donat.” Accuratiores sane fuisset auctor, si verbum „meritae” tacuisset, quippe quod totam clementiae veniaeque rationem conturbet. Ceterum clementia quoque primo parum exacte definita erat ut poenae debitae remissio; quod subinde corrigebatur. <sup>2)</sup> Atque revera hoc est discrimen inter clementiam ac veniam, quod haec e merita solum poena, illa e debita quoque aliquid remittit. Recte igitur D. C. II. 7. 3. dicitur veniam *debitae* poenae remissionem esse.

Sicut clementia remittendo aliquid e merita poena discedit a iustitia propriamque sibi postulat provinciam, ita venia etiam e debita poena remittendo clementiam deserit. Cum vero clementia nimis indulgendi periculum evitare studet, venia modum excessit omnemque iustitiae perdidit sensum. Quapropter reprehenditur venia, clementia laudatur <sup>3)</sup>: ignoscere poena dignis sapientem non decet; adhortari vero et corrigere vult homines, quare ex eo, quod fieri *debet*, quid fieri *possit*, singulis causis statuere conatur. „Aliquem verbis tantum admonebit, poena non afficiet aetatem eius emendabilem intuens, aliquem invidia criminis manifeste laborantem iubebit incolumem esse, quia deceptus est, quia per vinum lapsus; hostes dimittet salvos, aliquando etiam laudatos, si honestis causis pro fide, pro foedere, pro libertate in bellum acciti sunt. Haec omnia non veniae, sed clementiae opera sunt.” <sup>4)</sup>

Utique tamen manet invictum, quod „clementia hoc primum praestat, ut, quos dimittit, nihil aliud illos pati *debuisset* pronuntiet.”

Nonnulli autem, inter quos Rubin <sup>5)</sup> et Ammendola <sup>6)</sup>, clementiam

<sup>1)</sup> D. C. II. 7. 1.

<sup>2)</sup> D. C. II. 3. 2.

<sup>3)</sup> Cf. Bonhöffer II. p. 104.

<sup>4)</sup> D. C. II. 7. 2. Cf. De Ira I. 19. 5; Cic. Partit. Orat. 37 (praesertim § 131) Academico ex fonte.

<sup>5)</sup> L. I. p. 50.

<sup>6)</sup> L. I., ad D. C. II. 7. 4.

veniamque aequiperare arbitrantur Senecam, cum ita pergat: „De verbo, ut mea fert opinio, controversia est, de re quidem convenit.” Quae verba, nisi omnia me fallunt, non dicunt: „Una est res, duobus indicata vocabulis: clementia vel venia; utro velis uti, non interest.” Immo potius: res exstant *duae*, altera probabilis — altera reprehendenda: illa poenam minuit meritam, haec debitam quoque; ad lenitatem inclinat illa, ignoscit haec. De hac re convenit. Duae praeterea exstant vocabula: clementia et venia, de quibus controversia est. Quamvis enim vulgo lenitas in poenis exigendis vel poenae *meritae* remissio clementia, ignoscere vel poenae *debitae* remissio venia appelletur, nonnulli interdum homines pro clementia vocabulo „venia” utuntur, clementiam quoque remittere aliquid ex *debita* poena rati. Quod doctrina stoica ambae, ut cetera omnia, non genere sed gradu differunt (magnum nihilominus inter eas est discrimen!), propterea quasi contiguae sunt habendae in alteram altera paulatim transeunte.

Quid denique est venia altius scrutanti? *Misericordiae* in poenis exigendis *effectus*, non aliter quam crudelitas effectus est feritatis in poenis exigendis. <sup>1)</sup> Haec omnia facile confundi iniuriaque damnari posse vel ex eo apparet, quod Stoici veteres non solum misericordiam et veniam, verum ipsam clementiam repudiaverunt. <sup>2)</sup> Seneca autem hanc recepit, illas evitandas, quin etiam exstirpandas censuit.

Quae postremo misericordiae atque clementiae sit ratio, si quaeritur, haec respondebo: condicio animi Stoicis, in quibus Seneca, auctoribus numquam misera sit oportet, id est numquam in dolore ex alienis malis nato perseveret. Laborantibus autem consulere nemo vetat Stoicus <sup>3)</sup>. At talia beneficia e misericordia quadam originem ducere fortasse iis manifestum non fuit; utique huius rei mentionem non fecerunt. <sup>4)</sup> Unum constat: ne modum

1) D. C. II. 4. 2.; supra p. 49.

2) Cf. Stob. *Ecl.* II. 7 (p. 95 W.): „Οὐκ ἐπιεικῆ δέ φασιν εἶναι τὸν ἀγαθὸν ἄνδρα, τὸν γὰρ ἐπιεικῆ παραιτητικὸν εἶναι τῆς κατ' ἀξίαν κολάσεως καὶ τοῦ αὐτοῦ εἶναι ἐπιεικῆ τε εἶναι καὶ ὑπολαμβάνειν τὰς ἐκ τοῦ νόμου τεταγμένas κολάσεις τοῖς ἀδικοῦσι σκληροτέρας εἶναι καὶ τὸ ἡγεῖσθαι παρὰ τὴν ἀξίαν ἀπονέμειν τὰς κολάσεις τὸν νομοθέτην.” Vid. etiam Diog. La. VII. 123; Elias I. I. p. 34.

3) Cf. D. C. II. 5. 3. Plura de hac re Cap. IV. s. f.

4) Digna memoratu haec sunt Senecae verba (D. C. II. 5. 1): „Quemadmodum religio deos colit, superstitio violat, ita clementiam mansuetudinemque omnes boni viri praestabunt, misericordiam autem vitabunt.” Cf. *Ep.* 123. 16.

excesseris! Clemens sis licet, dummodo in misericordiam (cuius venia effectus est in exigenda poena) ne incidas.

Ceterum animadvertendum est iis, qui clementiam tractant, libris duobus hanc solam misericordiae speciem, quae in exigendis poenis prodire possit, a Seneca significari. Generaliorem enim habet sensum misericordia, quo cum clementia nequaquam coniuncta est; de qua re diligentius infra disserere mihi proposui.

Alia tamen iam est res, quam ne neglegamus, est cavendum. Scribere de clementia ex usu Senecae esse visum cuius Neronis ingenium non ignoranti clarum fuerit. Clementia igitur huius dialogi initium ac finis est, clementia laudatur, clementia describitur: ante haec vero omnia clementia *commendatur*. At ne irascatur princeps, ne nimis muliebris animi putet esse virum consilii sui participem, veretur auctor. Misericordiam ac veniam contemptuose nonnihil tractat, <sup>1)</sup> iustitiam laudat, <sup>2)</sup> clementiae palmam tribuit. <sup>3)</sup>

Clementiam ut admiraretur Nero, studuit praeceptor eius prudens. Quod ut consequeretur, unum alterumve de hac re librum sine dubio adhibuit. Qui vero eius fuerint fontes, statuere non est facile <sup>4)</sup>, ac licet compendio usum esse eum verisimile putem, de tali opere, quod iuxta clementiam misericordiam quoque tractaverit, nihil constat. Mihi autem videtur Seneca clementiam fuisse commendaturus quaeque specie illi erant propinqua, simul tractare voluisse, ut melius sciret alumnus nobilis, quae sibi assumenda quaeque reicienda essent. Atque hanc puto causam, cur in eo opere Senecae, quod „De Clementia” inscribitur, ratio quaedam misericordiae atque clementiae saepius proferatur. Ad quam tamen rationem in ceteris eius philosophi operibus vix usquam alluditur. <sup>5)</sup>

Misericordiae et clementiae usum proxima capita duo separatim demonstrant.

<sup>1)</sup> D. C. II. 4. 4. sqq.

<sup>2)</sup> D. C. II. 3. 2; *De Ben.* II. 31.

<sup>3)</sup> D. C. passim.

<sup>4)</sup> Mihi non valde persuasit Elias (l.l. p. 53, sqq.) se recte vidisse, qui Xenophontem, Isocratem, Pseudo-Aristotelem (περί βασιλείας), Ciceronem, Plutarchum nominet.

<sup>5)</sup> Cf. infra, Cap. IV.

## CAPUT IV.

QUALIS IN SENECAE OPERIBUS MISERICORDIAE FIAT MENTIO.

Definitiones misericordiae:

- I. „Misericordia est aegritudo animi ob alienarum miseriarum speciem.”<sup>1)</sup>
- II. „Misericordia est tristitia ex alienis malis contracta, quae accidere immerentibus credit.”<sup>2)</sup>
- III. „Misericordia vitium est animorum nimis miseria paventium, quam si quis a sapiente exigit, prope est, ut lamentationem exigat et alienis funeribus gemitus.”<sup>3)</sup>
- IV. „Misericordia est vitium pusilli animi ad speciem alienorum <malorum> succidentis.”<sup>4)</sup>

A. Loci, e quibus apparet misericordiam hominum recusare sapientem.

Inter multifarios, qui de hac re exstant, locos unus est, qui huius capituli quasi exordium esse possit, quod de misericordia quidem ipsa non agit, de doloris tamen in sapientem vi certum affert testimonium:

*Ep.* 71. 27.: „Non educo sapientem ex hominum numero nec dolores ab illo sicut ab aliqua rupe nullum sensum admittente summoveo. Memini e duabus illum partibus esse compositum: altera est irrationalis, haec mordetur, uritur, dolet: altera rationalis, haec inconcussas opiniones habet, intrepida est et indomita.”

<sup>1)</sup> *D. C.* II. 5. 4.

<sup>2)</sup> *D. C.* II. 5. 4.

<sup>3)</sup> *D. C.* II. 6. 4.

<sup>4)</sup> *D. C.* II. 5. 1.

Rationali sapientis parte fit, ut facile superet dolores nec timeat. Ac tametsi et ipse sapiens prae parte sua irrationali *omnem* doloris sensum tollere non potest, invitus tamen dolores accipit numquam. Sapiens igitur non invocabit auxilium aliorum, qui consolando eum sublevant. Quin etiam ipse ad perferendas calamitates paratissimus est, quas etiam sibi accidere vult, ut legimus:

*De Prov.* III. 1.: „Nunc illud dico, ista, quae tu vocas aspera, quae adversa et abominanda, primum pro ipsis esse, quibus accidunt, deinde pro universis, quorum maior dis cura quam singulorum est, post hoc *volentibus*<sup>1)</sup> accidere ac dignos malo esse, si nolint. His adiciam fato ista sic ire et eadem lege bonis evenire, qua sunt boni. Persuadebo deinde tibi, ne umquam boni viri miserearis; potest enim miser dici, non potest esse.” Ac ne dici quidem miser cupit vir bonus, quippe qui nec admirationem nec misericordiam hominum captet:

*Ep.* 37. 1, sq.: „Quod maximum vinculum est ad bonam mentem, promisisti virum bonum, sacramento rogatus es. Deridebit te, si quis tibi dixerit mollem esse militiam et facilem: nolo te decipi. Eadem honestissimi huius et illius turpissimi auctoramenti verba sunt: „uri, vinciri ferroque necari.” Ab illis, qui manus harenae locant et edunt ac bibunt, quae per sanguinem reddant, cavetur ut ista vel inviti *patiantur*: a te, ut *volens libensque* patiaris. Illis licet arma summittere, misericordiam populi temptare: tu neque summittes nec vitam rogabis: recto tibi invictoque moriendum est.”

Huius doctrinae principia altius quaerenda sunt. Sapiens enim omnia, quae evitare non potest, aequo animo accipit: persuasum est ei inevitabilia quaedam cuique evenire mala, quae effugere absurdum putandum sit propositum. Quod satis clare illustratur his verbis<sup>2)</sup>: „Fata aequaliter ius suum peragunt, nec ulla commoventur prece; non misericordia flecti, non gratia sciunt.” Nimium sibi postulare putant Stoici eum, qui sua non contentus sorte iniquitatem obiciat fato: „〈Mundum〉 aliquis dies dissipabit et in confusionem veterem tenebrasque demerget: eat nunc aliquis et

1) Cf. *Ep.* 61. 3: „Da operam ne quid umquam invitus facias: quicquid necesse futurum est repugnanti, id volenti necessitas non est.” Etiam Epict. *Ench.* 8: „Μὴ ζήτει τὰ γινόμενα γίνεσθαι ὡς θέλεις, ἀλλὰ θέλε τὰ γινόμενα ὡς γίνεται καὶ εὐροήσεις.”

2) *Quaest. Nat.* II. 35.



singulas compleret animas, Carthaginis ac Numantiae Corinthique cinerem et siquid aliud altius cecidit lamentetur, cum etiam hoc, quod non habet quo cadat, sit interiturum; eat aliquis et fata tantum aliquando nefas ausura sibi non pepercisse conqueratur." 1) Itaque, quoniam ea lege natus est homo, ut praeter gaudia atque felicitatem multa patiatur mala postremoque moriatur, sapiens huic ipsi rei studet, ut vitae calamitates ultro suscipiat perferatque.

Ne ipse aliis misericordiae causa sit, cavet sapiens; quapropter ad praeoccupandum omnem dolorem tale remedium offert nobis Seneca 2): „Est sine dubio stultum, quia quandoque sis futurus miser, esse iam miserum: sed ego alia te ad securitatem via ducam. Si vis omnem sollicitudinem exuere, quicquid vereris ne eveniat, eventurum utique propone, et quodcumque est illud malum, tecum ipse metire ac timorem taxa: intelleges profecto aut non magnum aut non longum esse, quod metuis." Eiusmodi patientiae exercitatio denuo docet, quanti hanc rem momenti duxerint Stoici. Qui autem tantopere ante eventum exercuit se, ei misericordiam hominum invocare in mentem non venit. Immo tunc maxime „miser" esset sapiens, si numquam eveniret ei, quod alios miseros facere solet. „Dicere bono viro possum, si illi nullam occasionem difficilior casus dedit, in qua vim animi sui ostenderet: „miserum 3) te iudico, quod numquam fuisti miser. Transisti sine adversario vitam; nemo sciet, quid potueris, ne tu quidem ipse. 4)""

Huc quoque pertinent ii loci, quibus *παρὰ δόξαν* nonnihil perhibetur calamitatibus sapientem commoveri omnino non posse (praeter ictum illum non voluntarium, de quo supra disseruimus):

„Nulla sapiens affici aut iniuria aut contumelia potest." 5)

„Praeterea iustitia nihil iniustum pati potest, quia non coeunt contraria; iniuria autem non potest fieri nisi iniuste: ergo sapienti iniuria non potest fieri. Nec est quod mireris, si nemo illi potest iniuriam facere: *ne prodesse quidem quisquam potest.*" 6)

1) *Cons. ad Pol.* 1. 2. Vid. etiam *Ad Marc.* 6. 1.

2) *Ep.* 24. 1, sq.

3) Cf. infra p. 69 sqq.

4) *De Prov.* 4. 3; cf. 3. 3. (Demetrii dictum a Seneca laudatur): „Nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil umquam evenit adversi."

5) *De Const. Sap.* 2. 2—3.

6) *De Const. Sap.* 8. 1.

Omnia illa minus mira nobis videntur cogitantibus, sapientiae meditatione id ipsum agere Stoicos, ne iam adversis succumbant rebus utque immunis earum rerum animus fiat. Cum ita se habeat res, nec iniuria attinget<sup>1)</sup> virum bonum nec misericordia, quia mens eius invulnerabilis evasit; unde sequitur, ut et ab eo, qui vulnerare, et ab eo, qui vulneribus mederi velit, quasi alienus sit. Quamobrem misereri sapientis lapidis lavandi non est dissimile.

Animadvertendum praeterea videtur maxime fortasse a ceterorum abhorrere moribus virum bonum, quod patiendi rationem et velut artem possidet diversam. Nam sicut plerumque multitudo scelere commisso facinus tantum spectat ac de eo iudicat, causas negligit, ita de sapientis actionibus disputatur ab iis, qui earum naturam ignorant. Recte igitur a Seneca quoque diserte asseveratur sensus non esse expertem sapientem virum. Iam commemoravimus *Ep.* 71. 27: „non educo sapientem ex hominum numero nec dolores ab illo sicut ab aliqua rupe nullum sensum admittente summoveo” e.q.s.<sup>2)</sup>; alium tantum atque ceteri sensus illius novit usum. Inspiciamus ad hoc *De Ira* I. 12. 1. sq.: „„Quid ergo, inquit, vir bonus non irascetur, si caedi patrem suum viderit, si rapi matrem?” Non irascetur, sed vindicabit, sed tuebitur. Quid autem times, ne parum magnus illi stimulus etiam sine ira pietas sit? Aut dic eodem modo: „quid ergo? cum videat secari patrem suum filiumve, vir bonus non flebit, nec linquetur animo?” Quae accidere feminis videmus, quotiens illas levis periculi suspicio perculit. Officia sua vir bonus exsequetur inconfusus, intrepidus; et sic bono viro digna faciet, ut nihil faciet viro indignum. Pater caedetur: defendam; caesus est: exsequar, quia oportet, non quia dolet.” At sapientem oportere illud ad maiora saepe ducit quam ceteros dolor.

Iam aliam ob causam a sapiente misericordia aliena reicitur: fluxa instabilisque est, quia dolor alterius perbreve solum tempus homines tenet. „Nulla res citius in odium venit quam dolor, qui recens consolatorem<sup>3)</sup> invenit et aliquos ad se adducit, inveteratus vero deridetur, nec immerito: aut enim simulatus aut stultus est.”<sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> *De Const. Sap.* 3. 3—5.

<sup>2)</sup> Vid. *Ep.* 71. 23 sqq.

<sup>3)</sup> De consolandi genere a Seneca adhibito vid. infra p. 65, sqq.

<sup>4)</sup> *Ep.* 63. 13.

Simulationem <sup>1)</sup> vero, nedum stultitiam, a sapiente alienam esse constat, quapropter ille occupabit, quicumque eius misereri videtur, sicut Cornelia, Gracchorum mater, filios suos occisos videns et insepultos respondisse narratur consolantibus miseramque dicentibus: „Numquam non felicem me dicam, quae Gracchos peperit.” <sup>2)</sup> Ad maiora mentemque confirmatura respicere amant sapientes.

Una ex epistulis <sup>3)</sup>, qua de communis amici suicidio certior fit Lucilius, haec affert verba: „In fabellam excessi non ingratham tibi: exitum enim amici tui cognosces non difficilem nec miserum.” Longe ab eiusmodi hominibus abest miseria nec non alienae misericordiae desiderium. Nam miser esse, qui virtutem habet, non potest.” <sup>4)</sup>

Minus tamen perfecti homines miseri profecto esse possunt, unde fortasse exspectarit quispiam illorum certe misereri sapientem. Id minime fieri cum iam priore demonstratum est capite tum etiam sequentia ostendant exempla.

#### B. Nullius misereri sapientem indicantes loci.

Auctore Seneca dolor quoque, aequae ac ceteri animi corporisve affectationes, opinione nascitur. „Omnia ex opinione suspensa sunt; non ambitio tantum ad illam respicit et luxuria et avaritia: ad opinionem dolemus. Tam miser est quisque quam credit.” <sup>5)</sup> Alterius igitur opinioni morem gerit misericordia. Similia nos docet Cons. *ad Marc.* 7. 1. sq.: „„At enim naturale desiderium suorum est!” Quis negat, quamdiu modicum est? Nam discessu, non solum amissione carissimorum necessarius morsus est et firmissimorum quoque animorum contractio. Sed plus est, quod opinio adicit, quam quod natura imperavit.” (Sequuntur nonnulla de ceteris animalibus, quae acriter sed breviter dolent.) „Homo adest dolori suo, nec tantum, quantum sentit, sed quantum constituit, afficitur.” <sup>6)</sup>

<sup>1)</sup> Cf. *Ep.* 79. 18.

<sup>2)</sup> *Ad Marc.* 16. 3.

<sup>3)</sup> *Ep.* 77. 10.

<sup>4)</sup> *Ep.* 92. 14., cuius hoc est argumentum: si sapiens cum incommodis miser non est, sine commodis beatissimus esse debet.

<sup>5)</sup> *Ep.* 78. 13.

<sup>6)</sup> De doloris ostentatione nimia cf. *Ep.* 63.

Etiam ad Polybium Consolatio, quamquam nec satis constantem nec plane stoicum nobis monstrat Senecam, de hac re non multum dubitationis reliqui facit <sup>1)</sup>: „Eloquentia tua > nunc tota se in solacium tuum conferat. Et tamen dispice, ne hoc iam quoque ipsum sit supervacuum; aliquid a nobis <doloris> <sup>2)</sup> natura exigit, plus vanitate contrahitur. Numquam autem ego a te, ne ex toto maereas, exigam; *et scio inveniri quosdam durae magis quam fortis prudentiae viros, qui negent doliturum esse sapientem* <sup>3)</sup>: hi non videntur mihi umquam in eiusmodi casum incidisse, alioquin excussisset illis fortuna superbam sapientiam et ad confessionem eos veri etiam invitos compulisset. Satis praestiterit ratio, si id unum ex dolore, quod et superest et abundat, exciderit: ut quidem nullum omnino esse eum patiat, nec sperandum ulli nec concupiscendum est. Hunc potius *modum* servet, *qui nec impietatem imitetur nec insaniam* et nos in eo teneat habitu, qui *et piae mentis est nec motae*: fluant lacrimae, sed eadem et desinant; trahantur ex imo gemitus pectore, sed idem et finiantur: sic rege animum tuum, ut et sapientibus te approbare possis et fratribus.”

Detrectari his verbis aliquantum severitati stoicae videtur. Ceterum specie hoc fit magis quam re, quoniam vir vere sapiens, fortitudini magis quam duritiae intentus, impietatem quidem damnabit, nec tamen insanis animi succumbet motibus. <sup>4)</sup> Illud enim cavendum imprimis putat auctor noster, ne dolor, qui parum intra certos coactus sit fines, in male sanam voluptatem mutetur. Hic metus exprimitur *Cons. ad Marc.* 1. 7: „Quemadmodum omnia vitia penitus insidunt, nisi, dum surgunt, oppressa sunt, ita haec quoque tristitia et misera et in se saevientia ipsa novissime acerbitate pascuntur et fit infelicis animi prava voluptas dolor.”

Omnino autem, quod ad calamitatem alienam attinet, sine ullo dubio solita sectae praecepta profert Seneca; e. g. *De Const. Sap.*

<sup>1)</sup> *Ad Pol.* 18. 4. sqq. Cf. etiam 17. 2.

<sup>2)</sup> <doloris>: addidit Gertz, *Studia Critica* p. 169.

<sup>3)</sup> Diog. La. VII: „οὐδὲ μὴν λυπηθήσεσθαι τὸν σοφόν, διὰ τὸ τὴν λύπην ἄλογον εἶναι συστολήν ψυχῆς, ὡς Ἀπολλόδωρος φησιν ἐν τῇ ἡθικῇ.” Cf. *ad Helv.* 16. 1.; infra p. 65<sup>6</sup>.

<sup>4)</sup> Nihilominus vix fieri mea quidem sententia potest, ut et sapientibus et fratribus quisquam placeat, nisi forte inter sapientes numerandus est frater. Sed rhetorem, antitheseos cupidum, vicisse denuo philosophum veri simillimum est.

1. 1 haec scribit: „Ceteri sapientes molliter et blande, ut fere domestici et familiares medici aegris corporibus, non qua optimum et celerrimum est, medentur, sed qua licet; Stoici virilem ingressi viam non, ut amoena ineuntibus videatur, curae habent, sed ut quam primum nos eripiat et in illum editum verticem educat, qui adeo extra omnem teli iactum surrexit, ut supra fortunam emineat.”

Si inter duo misericordiae genera discernimus: quod totam hominum societatem complectitur quodque pertinet ad singulos: — primum repellendum est, quod ad absurdum ducit: „Heraclitus quotiens prodierat et tantum circa se male viventium, immo male pereuntium viderat, flebat, miserebatur omnium, qui sibi laeti felicesque occurrebant, miti animo sed nimis imbecillo: et ipse inter deplorandos erat.”<sup>1)</sup> Risus potius quam misericordia decet philosophum: „Elevanda ergo omnia et facili animo ferenda: humanius est deridere vitam quam deplorare; adice quod de humano quoque genere melius meretur qui ridet illud quam qui luget: ille ei spei bonae aliquid relinquit, hic autem stulte deflet, quae corrigi posse desperat; et universa contemplatus maioris animi est qui risum non tenet quam qui lacrimas, quando lenissimum affectum animi movet, et nihil magnum, nihil serium, ne miserum quidem ex tanto paratu putat.”<sup>2)</sup>

Quibuscum bene congruunt, quae leguntur *De Tranq. An.* 15. 4. sq.: „Singula, propter quae laeti ac tristes sumus, sibi quisque proponat, et sciat verum esse, quod Bion dixit: omnia hominum negotia simillima initiis esse nec vitam illorum magis sanctam aut severam esse quam conceptum; <in nihilum recidere de> nihilo natos. Sed satius est publicos mores et humana vitia placide accipere nec in risum nec in lacrimas excidentem; *nam alienis malis torqueri aeterna miseria* est, alienis delectari malis voluptas inhumana. \*\*\* sicut illa inutilis humanitas, flere, quia aliquis filium efferat, ei frontem suam fingere.” Interea manifestum fit hoc loco moderationem adversus aliena mala praefendam esse, ita ut nec misericordiam ex alienis malis nec gaudium concipiamus.

Universae quoque civitatis calamitas nequit movere misericordiam

1) *De Ira II.* 10. 5. — Rogare, cuiam esset deplorandus ille, vetat urbanitas.

2) *De Tranq. An.* 15. 3. Cf. Plat. *Resp.* 604<sup>c</sup>.

Senecae, quippe qui Liberali, amico suo, patriae incendium ingens comploranti haudquaquam indulgeat.<sup>1)</sup>

Ut tamen universi generis humani sortem nusquam miseratione dignam putavit, ita privatae mederi tristitiae summa cura studuit Seneca. Consolationes eius argumento nobis sunt, quomodo, a vetere Stoicorum doctrina profectus, nulla mollitia indulgentiae usus opitulari dolore confectis summis viribus sit conatus. „Dolor, inquit,<sup>2)</sup> primo quoque tempore deponendus est et ab inanibus solaciis atque amara quadam libidine dolendi animus recipiendus est.” Consolari est bonum, dummodo ne fiat inani modo; consolationem petere bonum est, dummodo ne libidinosa quaedam dolendi voluptas exsistat. Praecipue quae ad Marciam scripta sunt consolandi artem annaeanam nobis reddunt perspicuam.

Initio<sup>3)</sup> iam ponit atrocem nimirum esse filii iacturam illam, quam dolere Marciam non ignorat. Luctui eam indulsisse primo nec superare potuisse dolorem assidue redeuntem pro certo habet ac probat ultro.<sup>4)</sup> Ardua vincendi exercitatio ipsi philosopho erat nota. Quin etiam virtus certis condicionibus appellari potest dolere publice pietatemque prae se ferre. „Fudisti lacrimas palam, et gemitus devorasti<sup>5)</sup> quidem, non tamen hilari fronte texisti, et haec illo saeclo, quo magna pietas erat nihil impie facere.”<sup>6)</sup>

Cum autem post multos annos deponere maerorem nondum

1) *Ep.* 91 (praesertim § 15).

2) *Cons. ad Pol.* 4. 1.

3) *Ad Marc.* 1. 3.

4) Cf. *Ad Pol.* 18. 5.

5) Eadem locutio invenitur *Ep.* 66. 29.

6) Haud recte, ut opinor, Bonhöffer (*Epictet und die Stoa* p. 311) Senecae mobile imputat ingenium cum *Marc.* 8. 1. collatis *Helv.* 16. 1, *Ep.* 99. 18, *Tranq. An.* 15. 6. Hi enim tres loci nonnisi specie doctrinae Stoicae sunt oppositi: dolebit etiam sapiens interdum, sed eius lacrimae per elisionem cadunt (*Ep.* 99. 19.); conabitur quam primum deponere dolorem, verum fieri potest ut ne sapienti quidem illud contingat. Id autem numquam non aget sapiens, ut sit dolor suus *naturalis* (*Tranq. An.* 15. 6) atque *finitus* (*Helv.* 16. 1; *Ad Pol.* 18). Quod Marciae quoque praecipit Seneca (7. 1.): „„At enim naturale desiderium suorum est.” Quis negat, quam diu modicum est? nam discessu, non solum amissione carissimorum necessarius morsus est et firmissimorum quoque animorum contractio. Sed plus est, quod opinio adicit, quam quod natura imperavit.” — Ultimis verbis denuo ad necessarium moderationis studium pergit auctor. Invicem tribus locis supra memoratis eadem, quae coram Marcia adhibetur, severitas paulo infra redit!

sustineret Marcia, Seneca ut pro virili parte ei malo remedium quaereret eiusque animum corroboraret proposuit sibi; atque ita adlocutus est feminam illam nobilem<sup>1)</sup>: „Haec magnitudo animi tui vetuit me ad sexum tuum respicere, vetuit ad voltum, quem tot annorum continua tristitia, ut semel obduxit, tenet<sup>2)</sup>. Et vide, quam non subrepam tibi nec furtum facere affectibus tuis cogitem: antiqua mala in memoriam reduxi et, ut scires hanc quoque plagam esse sanandam, ostendi tibi aequae magni vulneris cicatricem. Alii itaque molliter agant et blandiantur, ego conflagrare cum tuo maerore constitui et defessos exhaustosque oculos, si verum vis, magis iam ex consuetudine quam ex desiderio fluentis continebo, si fieri potuerit, favente te remediis tuis, si minus, vel invita, teneas licet et amplexeris dolorem tuum, quem tibi in filii locum superstitem fecisti.” In tali sermone misericordiae vestigia frustra quaesieris; immo cuncta eo spectant, ut bene Marcia, quale sit malum suum, intellegat.

Nihilominus iterum atque iterum concedit Marciae verum esse eius dolorem: „Ereptum tibi amplius, quam ulla umquam mater amiserit”<sup>3)</sup>, sed in parenthesi sequuntur verba „non permulceo te nec extenuo calamitatem tuam” atque paulo infra „fletus non proficiunt” et „sors immota et in aeternum fixa.” Identidem monet Seneca cum sorte humana arte coniunctum esse dolorem nec non eius causas: „„Grave est tamen, quem educaveris iuvenem, iam matri iam patri praesidium ac decus, amittere.” — Quis negat grave esse? sed humanum est. Ad hoc genitus es ut perderes, ut perires, ut sperares metueres, alios teque inquietares, mortem et timeres et optares et, quod est pessimum, numquam scires, cuius esses status.”<sup>4)</sup> Ignorantia vitae eiusque naturae consortium quoddam hominum efficit: nemini non ignota imminent semper mala; quod alii quoque isdem fere ac nos rebus adversis expositi sunt, id nobis solacia praebeat.<sup>5)</sup>

1) *Cons. ad. Marc.* 1. 5.

2) In alia muliere lacrimis sane abstineret Seneca quidem, sed tum remediis quoque animi, ut inutilibus, haud uteretur!

3) *Ad Marc.* 6. 1.

4) *Ad Marc.* 17. 1.

5) Memorabile est hac ipsa in re Stoicos non, ut plerosque, commendasse misericordiam, sed diversam ingressos esse viam.

Eandem ob causam addi possunt ea, quae collatione ceterorum aestimari demum posse mala propria declarant: <sup>1)</sup> „Circumspice, inquam, omnes: nullam tam miseram nominabis domum, quae non inveniatur in miseriore solacium. Non, me hercules, tam male de moribus tuis sentio, ut putem posse te levius pati casum tuum, si tibi ingentem lugentium numerum produxero: malivolum solacii genus est turba miserorum; quosdam tamen referam, non ut scias hoc solere hominibus accidere, ridiculum est enim mortalitatis exempla colligere, sed ut scias fuisse multos, qui lenirent aspera placide ferendo.” Exempla igitur eorum, qui calamitate qualibet sunt afflicti, non nisi ad firmandum maerentis animum adducuntur.

Magnam procul dubio in Marciae virtute spem ponit Seneca, ut iam initio consolationis suae profitetur <sup>2)</sup>: „Nisi te, Marcia, scirem tam longe ab infirmitate muliebris animi quam a ceteris vitiis recessisse et mores tuos velut aliquod antiquum exemplar aspici, non auderem <sup>3)</sup> obviam ire dolori tuo, cui viri quoque libenter haerent et incubant, nec spem concepissem tam iniquo tempore, tam inimico iudice, tam invidioso crimine posse me efficere, ut fortunam tuam absolveres.” <sup>4)</sup>

Misericordia vero damnata non impedit Senecam, quominus iusti remedii egentes consilio adiuvet utili. Ea mente dicit: <sup>5)</sup> „Praecipue tamen vitentur tristes et omnia deplorantes, quibus nulla non causa in querellas placet: constet illis licet fides et benevolentia, tranquillitati tamen inimicus est comes perturbatus et omnia gemens.” Item evitetur consuetudo eorum, qui mollioribus sint ingeniis parumve validas resistendi facultates habeant: <sup>6)</sup> „Aeger et infelicis valetudinis est, quem levis aura contraxit, affecti oculi, quos candida vestis obturbavit, dissolutus deliciis, cuius latus alieno labore condoluit.”

Atque rursus pro misericordia praebet ad maiora prospectum philosophus stoicus ita disserens: <sup>7)</sup> „Quomodo, inquis, nos iubes

<sup>1)</sup> *Ad Marc.* 12. 4. sq.

<sup>2)</sup> 1. 1.

<sup>3)</sup> Rhetorice dicta: auderet quidem, sed inutile putaret.

<sup>4)</sup> Idem consolandi genus apud Ciceronem, *Tusc.* III. 31—76.

<sup>5)</sup> *De Tranq. An.* 7. 6.

<sup>6)</sup> *De Ira* II. 25. 1.

<sup>7)</sup> *De Ira* III. 32. 3.



intueri, quam omnia, per quae laedi videamur, exigua, misera, puerilia sint?" Ego vero nihil magis suaserim quam sumere ingentem animum et haec, propter quae litigamus, discurrimus, anhelamus, videre quam humilia et abiecta sint, nulli, qui altius quiddam aut magnificum cogitat, respicienda".

Nec tamen apud omnes remedium idem adhibendum erit: <sup>1)</sup> „Aliter cum alio agendum est: quosdam ratio ducit, quibusdam nomina clara opponenda sunt et auctoritas, quae liberum non relinquat animum ad speciosa stupenti". Deinde Octavia lugens Marcellum praemature mortuum opponitur Liviae Drusi interitum maerenti: quarum illa evicta dolore de filio amisso loqui nequit, haec ipsa corripiens se „nomen Drusi celebrat." <sup>2)</sup>

Unius adhuc loci fiat mentio, qui ab huius dissertationis argumento satis alienus videtur, quem tamen omittere nolo: Seneca auctore sapiens, etsi misericordiam longe stare a se iubet doloremque malum non putat, numquam paratus erit ad optandum dolorem alii, ut postea ei tollat aerumnas beneficiique gratiam sibi sumat. <sup>3)</sup>

Locorum multitudo vel hanc habet summam: homines omnes ex adversis rebus discant. Explicando ac praecipiendo philosophus adiuvat. „Calamitas virtutis occasio est. Illos merito quis dixerit miseros, qui nimia felicitate torpescunt." <sup>4)</sup> Seligendi sunt boni: „ignis aurum probat, miseria fortes viros." <sup>5)</sup> Miseria autem id est, quod stulti timent in calamitatibus; quae tamen miseria videtur illis, sapientibus est ad exercendam virtutem obstaculum utile. Hi enim non vocant miserum, quod alii; quippe opinione nititur illud, quod omnino tollere student. Quare stulti misericordiam invocare solent, sapientes non modo invocare sibi, sed ne aliis quidem praestare consueverunt. „Invenies, qui nihil putet esse iucundius, nihil maius quam habere, in quo calamitas acquiescat; invenies rursus, qui dignitati suae quam securitati consuli malit." <sup>6)</sup>

Sicuti vero misericordia vituperatur, patientia dolorum adversarumque rerum ut meditanda laudatur neque umquam *misera*

<sup>1)</sup> *Ad Marc.* 2. 1.

<sup>2)</sup> *Ad Marc.* 3. 2.

<sup>3)</sup> *De Ben.* VI. 25—29.

<sup>4)</sup> *De Prov.* 4. 6; cf. 3. 3; supra p. 60<sup>4</sup>.

<sup>5)</sup> *De Prov.* 5. 9/10.

<sup>6)</sup> *De Ben.* III. 12. 2.

esse perhibetur<sup>1)</sup> — ita identidem eo ipso Seneca utitur vocabulo; quem usum sequentia ostendant atque illustrent.

C. Eorum, qui miseri vocantur, non miseretur Seneca.

Quid tandem voce „miser” significare voluerit Seneca, optime demonstrant exempla nonnulla, e quibus praeter alia apparet in dialogorum epistularumque sermone varium esse eius vocabuli sensum.

Incipiamus a verbis, quae inveniuntur *De Vita Beata* 14. 1: „At ei, qui voluptati tradidere principia, utroque caruere (sc. et virtute et voluptate); virtutem enim amittunt, ceterum non ipsi voluptatem, sed ipsos voluptas habet, cuius aut inopia torquentur aut copia strangulantur, miseri, si deseruntur ab illa, miseriores, si obruuntur”.<sup>2)</sup> Epicurei igitur (nam de illis agi manifestum est) et si deseruntur a voluptate, miseri sunt, et si obruuntur etiam miseriores, id est: sua, non Senecae sententia. Id unum nobis persuadere vult ille non in voluptate sed in virtute veram positam esse felicitatem. Ad rhetoricam quidem artem convenit antithesis illa (deseruntur-obruuntur) per gradationem adiecti elaborata; attamen plus quam rhetorica mera in verbis illis inest. Dubium non est, quin Seneca, nisi omnino a disciplina stoica discreparet misericordia, eiusmodi miseritus esset hominum. Inest in sermone eius quasi lepos deridentis. Rursus sit dictum: non miseretur — verum plane perspicit eos, qui ducem vitae voluptatem sumpserint sibi, felices, nedum beatos, non esse. Licet in animum suum non iam recipiat eorum condicionem aegram, mente tamen tota videt. Namque „miserorum mortalium aegrorum” tot affuit casibus, ut ab eo alienus esse iam potest nullus. Quamobrem seria sunt eius verba, in quibus nihilominus inest aliquid leporis, qui est pro sapientia comiter deridentis proprius.

De talibus loquens hominibus non tantum verbum „miser”, sed

<sup>1)</sup> *De Prov.* 4. 15 (de laborum apud Germanos patientia): „Miseri tibi videntur? Nihil miserum est, quod in naturam consuetudo perduxit; paulatim enim voluptati sunt, quae necessitate coeperunt.”

<sup>2)</sup> Cf. 6. 1: „Hoc (voluptatibus sc.) mihi videbitur miserior, quoniam mala pro bonis legere dementia est.”

etiam „misereri” adhibet Seneca, e. g. *De Tranq. An.* 12. 4. (de inania agentibus): „Quorundam quasi ad incendium currentium misereberis: usque eo impellunt obvios et se aliosque praecipitant, cum interim cucurrerunt aut salutaturi aliquem non resalutaturum aut funus ignoti hominis prosecuturi”, e. q. s. Eo quoque loco audimus philosophum de privatorum vita negotiosa non sine derisione quadam, at tamen pro sapientiae suae comitate disserentem.

Aliquanto minus comiter in ludibrium vertit eos, qui speciem pro vero accipiunt quique a dis ipsis contemptuose miseri vocantur: *De Prov.* 6. 4. (puta deum dicere): „Isti, quos pro felicibus aspicitis, si non qua occurrunt, sed qua latent videritis, miseri sunt, sordidi, turpēs, ad similitudinem parietum suorum extrinsecus culti,” e. q. s. Atque in ironiam meram transeunt haec <sup>1)</sup>: „Audio quendam ex delicatis, si modo deliciae vocandae sunt vitam et consuetudinem humanam dediscere, cum ex balneo inter manus elatus et in sella positus esset, dixisse interrogando: „iam sedeo?” — Hunc tu ignorantem, an sedeat, putas scire, an vivat, an videat, an otiosus sit? — Non facile dixerim, utrum magis miserear, si hoc ignoravit, an si ignorare se finxit.”

Ceteri quoque huius generis loci inter lepidam derisionem atque obliquam dissimulationem versantur, nunc huc nunc illuc inclinantes. <sup>2)</sup> Exemplum singulare praebet *Ep.* 95. 2—3, ubi descripto rhetore, cui roganti, num pergat velint, acclamant auditores parum sinceri, haec sequuntur: „Saepe aliud volumus, aliud optamus et verum ne dis quidem dicimus, sed dii aut non exaudiunt aut miserentur. Ego me omissa misericordia vindicabo et tibi ingentem epistulam impingam, quam si tu invitus leges, dicito: „ego mihi

<sup>1)</sup> *De Brev. Vit.* 12. 7.

<sup>2)</sup> *Ep.* 29. 12: „Ceterum, si te videro celebrem secundis vocibus vulgi, si intrante te clamor et plausus, pantomimica ornamenta, obstrepuerint, si tota te civitate feminae puerique laudaverint, quidni ego tui miserear, cum sciam, quae via ad istum favorem ferat?” Multorum, nisi eius inscii essent facti, misericordiam moveret favor iste popularis, minime optandus scientibus.

*Ep.* 88. 37: „Plus scire velle quam sit satis, intemperantiae genus est. Quid? quod ista liberalium artium consecratio molestos, verbosos, intempestivos, sibi placentes facit, et ideo non discentes necessaria, quia supervacua didicerunt. Quattuor milia librorum Didymus grammaticus scripsit: misererem, si tam multa supervacua legisset.” Non multum consolationis Didymum, etiamsi adhuc vixisset, ex hoc misericordiae genere hausturum sibi fuisse veri simile puto.

hoc contraxi.”” Usque eo procedit Seneca, ut misericordiam, quam ipse reiciat, dis imputet! Accedit, quod vocabulo „miserentur” minus quam verbis „omissa misericordia” cavillationis inhaeret; integra videtur eius significatio. Tamen ex hoc ipso loco apparet verbo miserendi proprio sensu non usum esse Senecam: nam di cum „misereantur”, nequaquam animi condicione aegra laborant; immo potius ita interdum exaudiunt hominum preces, ut quasi fastidio impulsus morigerentur iis.

Praecipue intenti multorum conatus, qui ingentia consequi se posse arbitrantur, in Senecae operibus ad ludibrium recidere solent. „Omne,” ut dicit, <sup>1)</sup> „quod fortuito obvenit, instabile est, quoque altius surrexit, opportunius est in occasum; neminem porro casura delectant: miserrimam ergo necesse est, non tantum brevissimam, vitam esse eorum, qui magno parant labore, quod maiore possideant.”

Item omnes, quorum adeo mollis est animus, ut exiguo etiam strepitu commoveantur, miseri appellantur <sup>2)</sup>, nec non qui semper timent aliquid; eorum enim miseria in posterum revocata in animum redit, quin etiam ante factum anticipata providentia imminet. <sup>3)</sup>

Iam ferme pluribus hoc ipsum suadet verbis, ne futura timeat quisquam <sup>4)</sup>: „Illud tibi praecipio, ne sis miser ante tempus, cum illa, quae velut imminetia expavisti, fortasse numquam ventura sint, certe non venerint.” Etsi enim hoc loco miseros se putant ipsi homines, Seneca quoque nomine miserorum dignos eos duceret profecto eadem mente, qua misericordiam pusilli animi vitium vocavit <sup>5)</sup>. Haud igitur fortuito sequitur: <sup>6)</sup> „Illud praesta mihi, ut quotiens circumsteterint, qui tibi te miserum esse persuadeant, non quid audias, sed quid sentias, cogites, et cum patientia tua deliberes ac te ipse interrogas, qui tua optime nosti: quid est quare isti me complorent,” e. q. s.

Miseri porro audiunt, qui timentes mortem <sup>7)</sup> vitae quoque ut

<sup>1)</sup> *De Brev. Vit.* 17. 4.

<sup>2)</sup> *De Ira* III. 35. 3.

<sup>3)</sup> *Ep.* 5. 9.; cf. 39. 6 et 47. 6.

<sup>4)</sup> *Ep.* 13. 4.

<sup>5)</sup> *Def.* IV.

<sup>6)</sup> *Ep.* 13. 6.

<sup>7)</sup> *Ep.* 74. 3.

non singula pericula ita statum incertum pati nequeunt<sup>1)</sup>: „Plerique inter mortis metum et vitae tormenta miseri fluctuantur, et vivere nolunt, mori nesciunt.” Huc prope accedunt verba, quae de se ipso scribit Seneca, cum narrat, quomodo valetudine mala vexatus quondam patris grandaevi gratia vitae amorem suae recuperare contenderit<sup>2)</sup>: „Miserrimum est, cum animum moriendi proieceris, non habere vivendi.” Satis fuerit comperire verborum derisionem in ipsum auctorem hoc loco esse versam. Nec non adnotandum mihi videtur Senecam longius tunc quidem afuisse a vera sapientis prudentia, nec tamen id ipsum, ut stultum, ignorasse. Scribendo ipse se corripit ac quasi ridens agnoscit animi sui miseriam, remediumque hoc offert amico aegrotō.

Denique omnia, nisi fallor, ad id spectant exempla, quod Seneca humanae sortis secum reputans varietatem damnavit misericordiam, miseros vero vocare quosdam non est veritus. In tali appellatione nunc derisione lepida nunc inversione usus est. Praesertim in eo quod ad priorem attinet dicendi rationem, diiudicatu non est facile utrum impetu quodam an ratione nascatur lepida illa derisio. Rationi eam attribuit Bonhöffer<sup>3)</sup>, incertum an recte. Iam vero supra<sup>4)</sup> demonstrare conatus sum eiusmodi leporem perspicere nimis humana inque sapientis vel prudentis viri mente futilitatis alienae contemplatione paulisper emicare posse. Atque operae pretium est conferre hoc loco, quae ad eam quaestionem affert alius philosophus hodiernus<sup>5)</sup>, quippe qui ipsum illud derisionis genus lepidum e misericordia oriri profiteatur!

Unde necesse erit concludere iuxta rationem<sup>6)</sup> etiam animi impetum adduxisse Senecam, ut miserorum nomine aliquando

1) *Ep.* 4. 5.

2) *Ep.* 78. 4.

3) *Die Ethik d. Stoik. Epict.* p. 102/103.

4) *Pag.* 69.

5) J. D. Bierens de Haan, *Idee-studies*, Amsterdam, van Looy, 1920, p. 74—93.

6) Ratio nonnisi argumentis grassatur omni carens animi inclinatione, e.g. *De Brev. Vit.* 12. 5: „cum videam quam curiose infelices pueri ebriorum sputum detergeant.” Idem in *praeceptis doctrinae*, *Ep.* 70. 15. „Hoc est unum, cur de vita non possimus queri: neminem tenet. Bono loco res humanae sunt, quod nemo nisi vitio suo miser est.” *Ep.* 61. 3: „Non qui iussus aliquid facit, miser est, sed qui invitus facit.” Facete et παραδὸξον *Ep.* 96, init.: „Si me interrogas, nihil puto viro miserum nisi aliquid esse in rerum natura, quod putet miserum.” Cf. supra p. 59.

notaret homines. Sicut enim clementia accuratius perscrutanti misericordiae vel alienarum calamitatum sensus quamquam exiguam continet partem,<sup>1)</sup> ita vocabulo „miser” semel enuntiato miserationis cuiusdam significatio haeret. Quomodo factum sit ut in mente Senecae utriusque rei fuerit locus, in huius capitis fine ac insequenti capite explicare argumentisque adstruere posse mihi videor. —

#### D. Vox misericordia per ironiam adhibita.

Ironiae inversae perbona exempla praebent qui sequuntur loci, e quibus appareat praeterea nostrum auctorem, quid voce „misericordia” sermo cotidianus significarit, sibi fuisse conscium. Quamquam ceteris quoque operis sui partibus etiam extra philosophiae fines vitae humanae non esse ignarum sese probavit.

*Ep.* 7. 3. (De gladiatoriiis muneribus eorumque crudelitate): „Casu in meridianum spectaculum incidi, lusus exspectans et sales et aliquid laxamenti, quo hominum oculi ab humano cruore acquiescant: contra est. Quicquid ante pugnatum est, misericordia fuit; nunc omissis nugis mera homicidia sunt.”

*De Ira* III. 19. 5. (C. Caesaris saevitia describitur, qui capitis damnatos spongia ori inserta trucidari iussit): „Adicere his longum est, quod patres quoque occisorum eadem nocte dimissis per domos centurionibus confecit, id est, homo misericors luctu liberavit.”

Ambo exempla hoc habent commune, quod utriusque misericordia nihil est aliud quam crudelitas<sup>2)</sup> imminuta, vel eo usque tantum pertinens misericordia, quoad relicto aut nondum orto maioris crudelitatis statu perexiguam vitae melioris spatium emensi sunt singuli aut universi. Differunt autem hoc, quod exemplo primo misericordiae voce multorum significatur animus minus atroci spectaculo contentus olim, secundo autem animus unius, qui patrata quorundam caede patribus eorum similem dat exitum. Atque ironia, quae acerbior est in secundo exemplo, ita se habet, ut auctor talem admirari se misericordiam simulet vel reicere crudelitatem dissimulet.

Eodem sensu inverso vocabulo „misericordia” utitur Seneca *Nat. Quaest.* Lib. IV a. Praef. 17 (p. 142 Gercke): (Lucilium fortunam

<sup>1)</sup> Supra p. 56 i. f.

<sup>2)</sup> *Ep.* 7. 3. feritatem describi putarit, qui distinguere velit; cf. *De Ira* III. 19. 5: crudelitatem potius, feritatis speciem.

laudantem suam gratiasque ei agentem, quod, quanti ipse aestimaret fidem, experiri voluerit illa, introducit auctor) „Ne examinavi quidem me diu (neque enim paria pendebant), utrum satius esset me perire pro fide an fidem pro me; non praecipiti impetu in ultimum consilium, quo me eriperem furori potentium, misi. Videbam apud Gaium tormenta, videbam ignes, sciebam olim sub illo in eum statum res humanas decidisse, ut inter misericordiae opera haberetur occidi — non tamen ferro incubui nec in mare aperto<sup>1)</sup> ore desilui, ne viderer pro fide tantum mori posse.” Utque hic inter misericordiae opera habetur occidere, ne patienda diutius sint vitae mala extrema, ita alio loco<sup>2)</sup>, cui etiam quae antecedunt addenda mihi videntur verba, id ipsum misericordiae genus appellatur, si occidas, cito occidere: „Plerisque autem hoc vitium est, ambitione prava differendi promissa, ne minor sit rogantium turba. Quales regiae potentiae ministri sunt, quos delectat superbiae suae longum spectaculum; minusque se iudicant posse, nisi diu multumque singulis, quid possint, ostenderint. Nihil confestim, nihil semel faciunt. Iniuriae illorum praecipites, lenta beneficia sunt.” (Sequuntur exempla e poetis sumpta). „Quemadmodum acerbissima crudelitas<sup>3)</sup> est, quae trahit poenam, et misericordiae genus est, cito occidere (quia tormentum ultimum finem sui secum affert; quod antecedit tempus, maxima venturi supplicii pars est): ita maior est muneris gratia, quo minus diu peperdit.”

Itaque capitis damnatum supplicio celeriter afficias, beneficium ne tarde dederis. Hoc verum est beneficium (vel virtus) — illud est misericordiae *genus*.

Duas, ut opinor, res ultimo vocabulo significare voluit Seneca. Primo velut respondere conatur interlocutori dicturo: „Num misericordiam vocare audes occidere? Num minus crudelis celeritate occidendi fuit Gaius?” Cui haec vel talia referet Seneca: „Crudelis quidem mansit ille, sed quod cito occidit, crudelitatis aliquid remisisse eum probat. Ceterum hanc misericordiam nonnisi sensu ironico appellare possumus.” Secundo autem, cum a misericordia incipiamus, revera in mente crudelissimi principis illius tale quid factum esse

<sup>1)</sup> Axelson, Senecastudien (Lund 1933, p. 66), pro *aperto*, collatis Hor. Sat. II. 3. 37, sqq.; Liv. IV. 12. 11; Petron. 102. 16.

<sup>2)</sup> *De Ben.* II. 5. 3.

<sup>3)</sup> Vide, quomodo denuo misericordiae opponatur crudelitas!

oportet, ut extenuata sit crudelitas, ita scilicet, ut *facinus* minus crudele commiserit. Atqui tale facinus, talis agendi modus misericordiae genus dicitur.<sup>1)</sup>

Non est dubium, quin illud genus misericordiae originem ducat e studio quodam leniendi aut breviorum certe reddendi dolorem alterius, id est ex ea animi condicione, qua malum alienum ut nostrum sentiamus. Nihilominus, ut loco supra laudato se habet res, initium illud vel animi condicio illa statim ad agendum incitat hominem, vel — ut magis dilucide loquar — non perseverat animus in commiseratione, verum contemplationem sequitur *factum* quodammodo utile.<sup>2)</sup>

Adeo huius rei sibi conscius fuit Seneca, ut eiusmodi misericordiae genere non solum ironico utatur sensu, sed etiam optimum quoddam genus misericordiae laudet in ipso iudice. Cum enim *De Ira* I. 16 dicit scelestorum hominum nequissimos — qui corrigi non possint — capitis damnare iudici licere poenamque illam beneficium esse iis, dummodo iudicii absit ira, haec addit (§ 3): „Quare irascar, cui cum maxime prosum? interim optimum misericordiae genus est occidere.”

Inde statuere licitum erit misericordiam, quam propter duas<sup>3)</sup> praecipue causas a Seneca damnatam comperimus, certis admitti condicionibus, dummodo in hoc animi statu ne perseveremus, verum ad agendum, succurrendum, adiuvandum, consolandum, cetera multa humanitatis opera tamquam auctore utamur misericordia. Quod nisi fit ita, ut salva tranquillitate animi agatur, etiamsi *initium* agendi affectus fecerit, abstinendum est potius. Atque vel melius esset dicere tale factum, quale significatum sit supra, postea demum aestimari adeo, ut, cum eiusmodi beneficium aliis prae-

1) Animadvertendum est, quod non adhibetur vocabulum „species”: nam ut ipsa misericordia aegritudinis species est, eodem modo misericordiae species exstant, prout causis diversis ad eam prolabitur animus.

2) Cf. Tac. *H.* I. 43: „Piso in aedem Vestae pervasit, exceptusque misericordia publici servi et contubernio eius abditus.” *A.* II. 47.: „Asperrima in Sardinios lues plurimum in eosdem misericordiae traxit: nam centiens sestertium pollicitus Caesar,” e. q. s. *A.* III. 50: „Saepe audivi principem nostrum conquerentem, si quis sumpta morte misericordiam eius praevenisset.”

3) Quod misericordia a sapiente, ut affectui indulgeat, exigit (*D. C.* II. 6. 4.) quodque spectata societatis humanae disturbat fundamenta (II. 5. 1.). Cf. supra p. 44 sqq.



stiterimus, ipsis subeat nobis eius fontem fuisse misericordiam. Quare non ut misereamur (quod sponte in animo nostro fit), sed ut humanitatis officiis fungamur hortandi sumus.<sup>1)</sup>

E. Ab auxilio laborantibus ferendo non avocatur  
Stoicum misericordia reiecta.

Demonstrare paragrapho priore conati sumus, quam saepe nobile factum antecedit misericordia quaedam. Nequaquam mansura, ut opitulemur tamen calamitate confectis impellere nos potest.<sup>2)</sup> Illic misericordiae genus apud Stoicos quoque exstare argumentatio nostra probare studuit. Nunc invicem exemplis adstruere velimus auxilio laborantibus lato Stoicorum haud detrectari doctrina.<sup>3)</sup>

Iam *De Ira* III. 32. 1. haec leguntur: „Aliud in alio nos deterreat: quibusdam timeamus irasci, quibusdam vereamur, quibusdam fastidiamus. Magnam rem sine dubio fecerimus, si servolum infelicem in ergastulum miserimus! Quid properamus verberare statim, crura protinus frangere? Non peribit potestas ista, si differetur. Sine id tempus veniat, quo ipsi iubeamus: nunc ex imperio irae loquemur; cum illa abierit, tunc videbimus, quanto ista lis aestimanda sit. In hoc enim praecipue fallimur: ad ferrum venimus, ad capitalia

<sup>1)</sup> Definitionum acumen cotidiana nonnumquam extenuari vita adhuc demonstratur *De Ira* II. 15. 2: „„Ut scias, inquit, iram habere in se generosi aliquid, liberas videbis gentes, quae iracundissimae sunt, ut Germanos et Scythas.” — Quod evenit, quia fortia solidaque natura ingenia, antequam disciplina molliantur, prona in iram sunt. Quae enim nonnisi melioribus innascuntur ingeniis, sicut valida arbusta laeta quamvis neglecta tellus creat et alta fecundi soli silva est; itaque et ingenia natura fortia iracundiam ferunt nihilque tenue et exile capiunt ignea et fervida, sed imperfectus illis vigor est ut omnibus, quae sine arte ipsius tantum naturae bono exsurgunt, et, nisi cito domita sunt, quae fortitudini apta erant, audaciae temeritatique consuescunt. Quid? non mitioribus animis vitia leniora coniuncta sunt, ut *miseriordia* et amor et verecundia? Itaque saepe tibi bonam indolem malis quoque suis ostendam; sed non ideo vitia non sunt, si naturae melioris indicia sunt.” Lenius igitur vitium est misericordia, sed vitium; nam „par error est a vero recedentium” (*De Clem.* II. 4. 4.). Vid. etiam *Cons. ad Pol.* 6. 5. et *Ep.* 104. 3: „Indulgentum est enim honestis affectibus.” Quae verba praeceptorum quidem mitigationem probant, doctrinae tamen ipsi non repugnant.

<sup>2)</sup> Re vera de facto neque de sensu solo agi etiam probant exempla, quae praebet Fr. Marx, *Zur Geschichte der Barmherzigkeit im Abendlande*, Bonn, 1917, p. 15—17.

<sup>3)</sup> Cf. Bonhöffer II. p. 105.

supplicia, et vinculis, carcere, fame vindicamus rem castigandam flagris levioribus." Misericordiae genus, de quo supra fuit sermo, hic quoque prodire videtur: praecipue cum irasci alicui vereamur, huius verecundiae origo ultra utilitatem quaerenda erit; ac servolus in ergastulum missus felicitatis quidem particeps haberi nondum potest, — melior nihilominus, quam si vapularet ilico, illi obtigit sors.

In isdem tamen verbis etiam ipsum percipimus tranquillitatis perfectae studium, quod multorum iudicio Stoicae mentis indicium est minus gratum: „non peribit potestas ista, si differetur — cum ira abierit, tunc videbimus" — haec non humani vel certe solliciti, at potius se ipso contenti, quin etiam tristis sunt animi. Sin autem revera, quamquam immotus animi, auxilium fert aliis vir stoicus, fieri non potest quin ei ius suum tribuamus, quaeque ceteri misericordia commoti faciant, illum aut exigua aut nulla misericordia adductum exsequi patiamur.

Videamus quid porro ad hanc rem afferant Senecae scripta. In dialogorum libris, qui de ira agunt, an secundum natura sit ira, inter alia quaeritur, ibique insitum homini adiuvandi studium opponitur irae: <sup>1)</sup> „Homo in adiutorium mutuuum genitus est, <sup>2)</sup> ira in exitium; hic congregari vult, illa discedere, hic prodesse, illa nocere, hic etiam ignotis succurrere, illa etiam carissimos petere; hic aliorum commodis vel impendere se paratus est, illa in periculum, dum modo deducat, descendere." Ac paula infra (§ 3, i. f.): „beneficiis enim humana vita constat et concordia, nec terrore sed mutuo amore in foedus auxiliumque commune constringitur." <sup>3)</sup> Natura hominem ad mutuuum auxilium inclinare praeterea profitetur Seneca his verbis: <sup>4)</sup> „In commune auxilium natus (est) ac bonum publicum, ex quo dabit cuique partem." <sup>5)</sup> Hac autem re praeposita sequuntur apte, quae legimus de Stoicorum erga homines cura atque benignitate: <sup>6)</sup> „Nulla secta benignior leniorque est, nulla amantior

<sup>1)</sup> *De Ira* I. 5. 2.

<sup>2)</sup> Cf. *De Ben.* VII. 1. 7: „Sociale animal et in commune genitum." Etiam *De Ben.* IV. 37 et 38.

<sup>3)</sup> Cf. *De Ben.* III. 9. 2.

<sup>4)</sup> *De Clem.* II. 6. 3.

<sup>5)</sup> Cf. etiam A. Frey, *Das Problem der Menschenliebe in der älteren Stoa*, Progr. Gymn. Münnerstadt, 1908, p. 25 sqq.

<sup>6)</sup> *D. C.* II. 5. 3.

hominum et communis boni attentior, ut propositum sit usui esse, ut auxilio, nec sibi tantum, sed universis singulisque consulere." Quae tamen verba singularem accipiunt sensum, cum cogitamus in medium illa proferri, postquam paulo ante multis verbis damnata sit misericordia. Non igitur fortuito, sed de industria alumnum suum admonet Seneca interesse inter adiutorium atque misericordiam idque vel ita, ut fallantur ii, qui sublata misericordia humanitatem<sup>1)</sup> quoque ex animo Stoicorum evanuisse arbitrentur. „Scio<sup>2)</sup> male audire apud imperitos sectam Stoicorum tamquam duram nimis et minime principibus regibusque bonum daturam consilium; obicitur illi, quod sapientem negat misereri, negat ignoscere. Haec, si per se ponantur, invisae sunt; videntur enim nullam relinquere spem humanis erroribus, sed omnia delicta ad poenam deducere. Quod si est, quidni haec <inhumana videatur><sup>3)</sup> scientia, quae dediscere humanitatem iubet portumque adversus fortunam certissimum mutuo auxilio cludit? Sed nulla secta benignior leniorque est" e. q. s.

Clarum est omnium, qui illis temporibus<sup>4)</sup> vigerint, Stoicorum causidicum hoc loco esse auctorem plurimisque verbis duritiae tristitiaeve crimen refutare. An iure, rogabitur. Optimo, ut opinor, et quidem hanc ob causam: bipartito Stoici dividere solent homines, in sapientes stultosque. Sapientes, quantum exstant in hoc mundo, misericordia carent omni<sup>5)</sup> — humanitatis vero officia pro perfecta

1) Vid. de hoc vocabulo inter multa alia opera: R. Reitzenstein, *Werden und Wesen der Humanität im Altertum*, Berlin, 1907; H. Wagenvoort, *Pietas, Rede*, Groningen, 1924, p. 5, sqq. Cf. Sen. *Ep.* 88. 30: „Humanitas vetat superbum esse adversus socios, vetat amarum; verbis rebus affectibus comem se facilemque omnibus praestat; nullum alienum malum putat; bonum autem suum ideo maxime, quod alicui bono futurum est, amat: numquid liberalia studia hos mores praecipunt? Non magis quam... clementiam, quae alieno sanguini tamquam suo parcat et scit homini non esse homine prodige utendum." *Ep.* 81. 26: „Quemadmodum reus sententiis paribus absolvitur et semper quicquid dubium est, humanitas inclinatur in melius: sic animus sapientis, ubi paria maleficiis merita sunt, desinet quidem debere, sed non desinet velle debere."

Itaque humanitate, quae plura quam clementia complectitur, apud Stoicos ea fiunt, quae ceteri misericordiae opera vocare solent.

2) *D. C.* II. 5. 2.

3) Supplevit Castiglioni; vid. Ammendola, l. l. ad locum.

4) Veterum tristitiam in hac quoque re nimiam fuisse animadvertit Bonhöffer II. p. 105/106.

5) De iis, qui evitari nequeunt, animi motibus vid. supra p. 38 sqq.

mentis suae condicione nihilominus praestant. Nam vir sapiens sponte sua rectum eligit nec quid sit faciendum sibi nec quomodo dubitans; recta pergit via. <sup>1)</sup> Ceteri autem, qui virtutem nondum universam sunt adepti quique eam ob causam stultorum nomine promiscue indicantur, prout perfecto animi statui sunt propiores <sup>2)</sup>, auxilium laborantibus ferre studebunt. Quo in conatu misericordiam, quae invitis ipsis oriri etiam tum potest, ut evitent, quam maxime nitentur, quo sapientis virtuti quam proxime accedant; eoque minor erit misericordiae pars, quo magis profecerint stulti.

Haec quamquam priore satis fortasse probata sunt disputatione, nonnullis tamen exemplis illustrare necessarium puto. Ad sapientem pertinent, sed cunctis imitanda sunt hominibus, quae leguntur *D. C. II. 6. 3*, ubi post verba „non miseretur <sapiens>, quia id sine miseria animi non fit,” ita pergit oratio: „Cetera omnia, quae, qui miserentur, volo facere, libens et altus animo faciet; *succurret alienis lacrimis*, non accedet; *dabit manum naufrago, exuli hospitium, egenti stipem*, non hanc contumeliosam, quam pars maior horum, qui misericordes videri volunt, abicit et fastidit, quos adiuvat, contingique ab iis timet, sed *ut homo homini ex communi dabit; donabit lacrimis maternis filium et catenas solvi iubebit et ludo eximet et cadaver etiam noxium sepeliet, sed faciet ista tranquilla mente, voltu suo.*” <sup>4)</sup> Quis negarit his verbis discrimen, quod inter misericordiam et humanitatem exstet, haud ambigue significari? Quippe omnia illa: succurrere, dare, alia ipsa mentis tranquillitate largius pleniusque praestabit sapiens quam misericordes, quorum animus condolendo saepius turbari solet. Eadem autem animi quies efficit, ut melius distinguere sciat sapiens, utrum sit auxiliandum certis hominibus necne; quapropter e. g. in beneficiis dandis duos accipit ingratos: alterum, qui pro stultitia, maioris hominum partis propria, ingratus est — alterum, cui infixum haerere vitium illud haud ignorat sapiens. <sup>5)</sup> Quin etiam eo usque pergit hac via, ut — optimo

<sup>1)</sup> Cf. *De Ira* I. 17. 3; *De Ben.* IV. 34.

<sup>2)</sup> Cf. *Ep.* 75. 10—14.

<sup>3)</sup> Cf. *Ep.* 75. 10—14.

<sup>4)</sup> Vid. A. Posselt, *Das Seelenleben des Weisen nach späteren Stoikern*, Diss. Erlangen, 1899, p. 49.

<sup>5)</sup> Cf. *De Ben.* IV. 26.

iure profecto — quae nocitura intellegit beneficia, dare recuset. <sup>1)</sup>

Ceterum nec pauca nec exigua exigit a se ipso. Sepelivit aliquis ignotum: „Hoc ita beneficium est, si non misericordiae et humanitati dedi, ut quodlibet cadaver absconderem, — sed si corpus agnovi, si filio tunc hoc praestare me cogitavi. At si terram ignoto mortuo inieci, nullum in hoc habeo huius officii debitorem in publicum humanus.” <sup>2)</sup> Quae verba nonnisi hoc dicunt: tale pietatis beneficium non misericordia, non ipsa humanitate nascitur, sed eo, quod corpore sepeliundo morem filio gerere se posse non ignorat auctor. Nihilominus quodlibet sepeliret cadaver adductus „misericordia et humanitate”. Quarum illa per errorem irrepsisse videtur: post enim humanitas redit sola. Etenim haec sunt, quae hominem homini ex communi dare oportet <sup>3)</sup> vel potius: eiusmodi officio propter affinitatem ac societatem generis humani fungi debemus. <sup>4)</sup> Nam hoc imprimis a ceteris differunt sapientes, quod damnantes singulorum vitia, quae stultitia proveniant, universum tamen amplectantur genus humanum. <sup>5)</sup>

Denique cum Senecae de misericordia doctrina, quoad hucusque tractata est, etiam quadrant ii loci, qui animi vitium illud commendare videntur.

*De Vit. Beat.* 24. 1. legimus: „Errat, si quis existimat facilem rem esse donare: plurimum ista res habet difficultatis, si modo consilio tribuitur, non casu et impetu spargitur. Hunc promereor, illi reddo; huic succurro, huius misereor; illum instruo dignum quem non deducat paupertas nec occupatum teneat.” Iam verba „si modo consilio tribuitur, non casu et impetu spargitur” satis demonstrant misericordiam, vel affectum, non esse causam dandi. Praeterea miserendi verbum succurrendi verbo arte coniunctum est, quod ex

<sup>1)</sup> *De Ben.* II. 14. 2: „Nonnumquam etiam miserabiliter” (i. e. ita ut misereri possis) „rogantibus perseverabimus non dare. Cum initia beneficiorum suorum spectare tum etiam exitus decet.”

<sup>2)</sup> *De Ben.* V. 20. 5.

<sup>3)</sup> Cf. *D. C.* II. 6. 2.

<sup>4)</sup> Cf. *Ep.* 95. 52: „Membra sumus corporis magni”. *De Ira* III. 43. 5: „Dum inter homines sumus, colamus humanitatem.” *De Vit. Beat.* 24. 3: „Hominiibus prodesse natura me iubet.”

<sup>5)</sup> Ceterum more stoico Seneca amorem sui antecedere generis humani amorem palam profitetur (*De Ben.* IV. 17. 2); at in hunc paulatim transit ille. Cf. A. Frey, l.l. p. 29.

pronominum ordine apparet (hunc—illi; huic, huius—illum). Ac paulo infra ita pergit: „quibusdam non dabo, quamvis desit, quia, etiam si dedero, erit defuturum.” — Ceterum in auxilio ferendo nonnumquam subesse initio misericordiam supra ostendere conatus sum. Hoc loco autem vocabulum excidisse Senecae veri similis puto.<sup>1)</sup>

*De Ira* III. 29. 1: „Turpe est odisse, quem laudes; quanto vero turpius ob id aliquem odisse, propter quod misericordia dignus est.” Sequitur exemplum captivi in servitatem subito depressi. — Hoc loco aliter se habet res: odio, cuius fons est ira, opponitur misericordia, extremo extremum. Quocum si comparaveris, quae inveniuntur *De Ben.* VI. 29. 1, simile illic fieri videbis: primo (usque a cap. 25) vituperantur ii, „qui aliquid incommodi precari solent his, quibus obligati sunt, aliquid adversi, in quo affectum memorem accepti beneficii approbent.”<sup>2)</sup> Deinde ita pergit oratio: „Quanto hoc honestius votum est: „opto in eo statu sit, quo semper beneficia distribuat, numquam desideret. Sequatur illum materia, qua tam benigne utitur largiendo iuvandoque, ut numquam illi sit dandorum beneficiorum inopia, datorum poenitentia. *Naturam per se pronam ad misericordiam*, humanitatem, clementiam inritet ac provocet turba gratorum . . . .”<sup>3)</sup>

Pro voto nefario auctor affert votum nobile, pro rebus adversis prosperas semper optat alteri speratque gratorum turba non odio iri inflammatum illius animum, sed irritatum ac provocatum misericordia, humanitate, clementia, ad quae per se pronam<sup>3)</sup> esse naturam hominis perhibeat. Ambo loci hoc habent commune, quod mentio fit misericordiae ea ipsa de causa, ut irae opponatur. Duorum tamen malorum minus grave eligi non probat hoc ipsum propterea laudari.<sup>4)</sup> Ceterum verbum viro vere stoico damnandum non est

1) Aliter censet Bonhoeffer, I. p. 306: „Seneca vermochte die streng stoische Ansicht von der Verwerflichkeit des Mitleids nicht immer festzuhalten.”

2) Cf. supra p. 68; S. Rubin, *Die Eth. Sen. in ihrem Verhältn. z. ält. u. mittl. Stoa*, Bern, 1901, p. 50. 5.

3) Redeunt verba *De form. hon. vit.* IV. 16: „ad iram tardus, ad misericordiam pronus <esto>”. Hoc solum e multis, quae de misericordia agunt, enuntiat Mironi, regi Gothorum, credit Martinus episcopus, nimirum ut, quam misericordes fuissent Stoici, indocto persuaderet barbaro!

4) „*De Ira* I. 17. 3: „Iram saepe misericordia retro egit,” quaeque ad hunc locum adnotavi supra p. 40 et 41.

„misericordia”, quam natura insitam esse homini nemo ignorat Stoicus, — sed „irritare” nec non „provocare”, quae autem additis humanitate clementiaque satis explicantur. Nam ad has animum irritari ac provocari debere libris, quae „De Clementia” inscribuntur, ample disseruit auctor.

Iam concludere debemus. Auctore Seneca sapiens aliorum misericordiam recusat nec ipse miseretur. Vocabulum, quod est miser, per ironiam tantum adhibetur; item vox misericordia. Vir privatus in eo, quod alterius gratia facit, misericordia moveri potest ita, ut affectus hic, simulatque coepit, supprimatur<sup>1)</sup>, vel ita, ut affectum ilico sequatur factum. Haec, licet non ipsis exprimantur verbis, collatis inter se locis compluribus satis constare videntur. Sapiens denique pro perfecta mentis suae condicione omnibus officiis fungitur, misericordia semper caret. Inevitabiles tantum motus per breve tempus eius tranquillitatem turbare valent. — Humanitatis officia haud imminuunt disciplinae stoicae praecepta<sup>2)</sup>: immo plura ac maiora quam ceteris exsequi contingit sapienti.

---

<sup>1)</sup> Eo factum est, ut Seneca, imperfectus ipse, initium quoddam huius affectus evitare non semper potuerit. Cf. supra p. 74 et 79.

<sup>2)</sup> Similia apud Dorison, *Quid de clementia senserit Seneca*, diss. Cadomi 1892, p. 50 (ad „*De Ira*” I. 12. 2): „Stoicis velle placet, cupere odiosum est, ita ut ab utraque parte vel eadem agas, a priore quidem intrepidus agas et certiore consilio.”

## CAPUT V.

QUALIS IN SENECAE OPERIBUS CLEMENTIAE FIAT MENTIO.

Definitiones clementiae.

- I. „Clementia est temperantia animi in potestate ulciscendi.”<sup>1)</sup>
- II. „Clementia est lenitas superioris adversus inferiorem in constituendis poenis.”<sup>2)</sup>
- III. „Clementia est inclinatio animi ad lenitatem in poena exigenda.”<sup>3)</sup>
- IV. „Clementia est moderatio aliquid ex merita ac debita poena remittens.”<sup>4)</sup>

His definitionibus capite tertio<sup>5)</sup> cum misericordiae definitionibus comparatis haec ferme conclusio evasit: in eadem re adhibita — in exigendis poenis — clementia est inclinatio animi ad mitiora, misericordia autem ad molliora. Ambae ab eadem parte iustitiae stant, clementia propior; huic contraria est severitas, illi crudelitas. Porro capite quarto lectori probasse mihi videor misericordiam, quae a clementia gradu tantum differat, esse notionem, quae ad plura pertineat ac quasi latius complectatur spatium. Misericordia enim in privatorum hominum mente e.g. humanitatis quoque initium esse potest: clementia in exigendis poenis imprimis prodit. Vigente igitur clementia tamquam in conspectu manet misericordia; haec autem cum existat, fieri perbene potest, ut clementia absit.

1) *D. C. II. 3.*

2) *D. C. II. 3.*

3) *D. C. II. 3.*

4) *D. C. II. 3.*

5) *Supra p. 46 sqq.*



Exstat tamen alterum clementiae genus, de quo pauca hic colligere mihi liceat. Eam clementiam dico, quam Graeci ἀνεξικακίαν vocant.<sup>1)</sup> Haud vero propria clementiae significatio esse haec potest, si iure a verbo \*clinendi deducitur vocabulum illud. Illa enim, de qua Seneca loquitur, clementia per positionem utuntur homines: inclinatur animus ad lenitatem in exigenda poena ac tamquam beneficium reis dat.<sup>2)</sup> Ea autem clementia, quam voce „ἀνεξικακία” reddunt Graeci, per detractionem adhiberi solet: cum iniuriose tractatus non irascatur homo, clemens appellatur.<sup>3)</sup> Talis clementia per positionem venia vocatur: atque haec vel permissa venia est.<sup>4)</sup> Animadvertendum est ceteroquin clementiam tunc esse rem privatam ita, ut is, qui laesus sit, reprimat iram suam utque non ulciscatur delinquentem. Praeterea, qui ita facit, misericordia non commovetur, ut iram cohibeat.

Quae autem proprio sensu dicitur clementia,<sup>5)</sup> ea quoque, quae detrahat, rursus continet partem: tertium scilicet veniae genus,

<sup>1)</sup> Elias, l. l. p. 39. Cf. Defin. I.

<sup>2)</sup> Eam clementiae partem profert H. Dahlmann, *Clementia Caesaris* (N. Jhrb. 10. 1934. p. 18): „Diese schonende Nachgiebigkeit tritt naturgemäß immer im Handeln auf, hat immer einen anderen Menschen notwendig, auf den sie gerichtet ist, ist nicht eine geistige Einstellung den Dingen der Umwelt gegenüber, sondern findet allein in einem jedesmal vollzogenen Akt ihre Vollendung.”

<sup>3)</sup> Cf. Elias p. 21 sqq.; praesertim p. 24, ubi invenitur clementiae definitio, quam dedit Cicero (*De Invent.* II. 164): „Clementia, per quam animi temere in odium alicuius concitati comitate retinentur.”

<sup>4)</sup> Cf. quae de secundo veniae genere attuli supra, p. 54. Clementiam veniae assimilare videtur Cic. *Ad Brut.* I. 15. 10, ut iam animadvertit Dahlmann, l. l. p. 17.

<sup>5)</sup> Graece παράτης. Altera duo vocabula usurpant Graeci: ἐπιεικίαν et φιλανθρωπίαν. Quorum illam definit Aristot. *Magn. Mor.* 1198b. 24: „ἔστιν δὲ ἡ ἐπιεικεία καὶ ἐπιεικῆς ὁ ἐλαττωτικὸς τῶν δικαίων τῶν κατὰ νόμον.” (Elias p. 13/14). De voce q. e. φιλανθρωπία vid. Elias p. 37 sqq. Praeterea: S. Lorenz. *De professu vocis φιλανθρωπία*, diss. Leipzig 1914, p. 18 et 39 sqq. P. A. Frey, *Das Problem der Menschenliebe (φιλανθρωπία) in der älteren Stoa*, Progr. Műnnerstadt 1908, p. 25 sqq. Hanc autem magis vagam esse notionem probat locus cuius Elias (p. 51) fecit mentionem: Themist. *Or.* XIX. p. 226D: „ἡ παράτης καὶ ἡ δικαιοσύνη καὶ ἡ εὐσέβεια καὶ ἡ τούτων ἕξαρχος φιλανθρωπία, καθ’ ἣν μόνον δύναται βασιλεὺς θεῶ ὁμοιοῦσθαι.”

Cf. adhuc S. Tromp de Ruiters, *De vocis quae est φιλανθρωπία significatione atque usu*, Mnem. N. S. 59 (1931), p. 271—306. — Nullum vocabulum graecum clementiae plane congruere animadvertit Dahlmann, l. l. p. 25.

Stoicorum numquam permissum doctrina, quoniam ei, qui non sua (tantum), sed (etiam) aliorum causa poenas sumit, ignoscere peccatoribus non licet: tum enim debitae poenae remitteret aliquid.

Utrumque clementiae genus apud Senecam occurrit. Primum libris, qui „De Ira” intitulantur, saepius profertur; etiam in librorum „De Clementia” prima praecipue parte. Secundum, quae est lenitas superioris adversus inferiorem in exigendis poenis, ipsis illis „De Clementia” libris variis coloribus depingitur plurimisque verbis extollitur. Attamen non semper distinguuntur duo genera illa, ut facile quis intellet, cum cogitabit, quam alteri altera propinqua sint tales notiones, et quam saepe, nisi forte auctorem ipsum definiendi ceperit studium, prorsus confundantur misceanturque. Quod e sequentibus locis satis appareat.

#### A. Clementia humano generi opus est.

Iam quarto huius disputationis capite admonuimus sapientem, etsi misericordiam repellat, humanum nihilominus esse virum. Quae autem illic humanitas appellabatur, vulgo dicebatur de mutuo inter homines adiutorio, quod omnibus natura insitum esse sibi persuasit Seneca. Eandem ob causam, sed in exigenda poena praecipue, clementia commendatur; nam „nullam ex omnibus virtutibus homini magis convenire, cum sit nulla humanior, constet necesse est.”<sup>1)</sup> Quare humana audiat clementia, collato *D. C. I. 6. 2.* intellegimus: „Quotus quisque ex quaesitoribus est, qui non et ipse<sup>2)</sup> ea lege teneatur, qua quaerit? Tam crebro enim peccatur in civitate tanta, ut numquam non severos esse inhumanum videatur. Et adversus eos, qui innocentes excipere velint, dicitur<sup>3)</sup>: „Nec est quisquam, cui tam valde innocentia sua placeat, ut non stare in conspectu clementiam paratam humanis erroribus gaudeat.”

Iam hinc sequitur sapienti sine dubio convenire clementiam,

<sup>1)</sup> *D. C. I. 3. 2.*

<sup>2)</sup> Gertz pro: ex ipsa (N); cf. adnot. crit ad loc., p. 267.

<sup>3)</sup> *D. C. I. 1. 9. — 2. 2.* Quattuor argumentationis elementa haec sunt:  
 1. : Sicut medicinam etiam sani, ita clementiam etiam innocentes colunt.  
 2. : Clementia nonnumquam indigent innocentes, quia „interim fortuna pro culpa est”.  
 3. : Item boni; nam „condicione temporum incidere amant quaedam, quae possint laudata puniri.”  
 4. : „Magna pars hominum est, quae reverti ad innocentiam possit, si ignoscas.”

quippe qui humano generi consulere consueverit hominesque cunctos, qua sint homines, aequiperare se profiteatur.<sup>1)</sup> Quapropter mirum videtur raro nec ante finem<sup>2)</sup> duorum „De Clementia” librorum ut sapientis propriam apparere eam virtutem. Longe enim maxima illius dialogi pars (non sine causa) clementiam ut regiam virtutem commendat; cuius rei exempla, quamvis ab aliis iam pridem sint notata<sup>3)</sup>, partim de novo producere mihi proposui, quandoquidem haec ipsa clementiae apud Senecam usum optime illustrent nec non melius docere nos possint, quamobrem clementiae ipsa misericordia multis opponatur verbis.

### B. „Virtus regia.”

Iam in ea Consolatione, quae a Seneca ad Polybium, Claudii libertum praepotentem, data est,<sup>4)</sup> principis clementiae hic atque illic facit mentionem auctor. Ipse in exilium actus barbariaeque incommodorum vixdum ultra patiens stoicam quidem dignitatem plane amisit adeo, ut adversarum patientiam rerum in hoc dialogo requiras profecto; attamen idem nobis occurrit clementiae sensus, idem color. Atque inter complura adulationis nimiae testimonia, quae Polybii benignitate ad Claudii aures perventura sperat Seneca, quaeque clementiam nominando captant, haec sunt:

*Ad. Pol.* 16. 6 (Fortunam implacabilem esse nemo ignorat): „Hoc unum obtineamus ab illa votis ac precibus publicis, si nondum illi genus humanum placuit consumere, si Romanum adhuc nomen propitia respicit, hunc principem hominum rebus datum, sicut omnibus mortalibus, sibi esse sacratum velit; discat ab illo clementiam atque sit mitissimo omnium principum mitis.”

*Ad. Pol.* 17. 3: „Non possum . . . hunc (sc. Caligulam) praeterire ex omni Caesarum numero excerptum, quem rerum natura in exitium opprobriumque humani generis edidit, a quo imperium adustum atque eversum funditus principis mitissimi recreat cle-

<sup>1)</sup> Vid. quae de servis profert Seneca, *Ep.* 47 (praesertim § 13: „Vive cum servo clementer.”)

<sup>2)</sup> *D. C.* II. 6!

<sup>3)</sup> Dispensam tractavit eorum partem A. Elias, l.l., verum ad usum diversum.

<sup>4)</sup> Anno 43 vel 44; cf. Karl Münscher, *Senecas Werke, Untersuchungen zur Abfassungszeit und Echtheit*, Leipzig, Dieterichsche Verl. Buchh. 1922. p. 29. (Philol. Suppl. Bd. XVI, Heft I).

mentia." Ubi haud sane fortuito in sententiae fine vocabulum clementiae positum est!

Multo autem amplius ut virtutem regiam descriptam videmus clementiam noto illo libello, quem Neroni duodevicesimum ingredienti annum dedicavit vir secretorum suus particeps. *De Clem.* I. 3. 3. haec legimus: „Nullum tamen clementia ex omnibus magis quam regem aut principem decet. Ita enim magnae vires decori gloriaeque sunt, si illis salutaris potentia est; nam pestifera vis est valere ad nocendum." Haec igitur prima est causa, cur principi commendetur clementia: salutari modo (i. e. clementer) potentia usum manent decus ac gloria; cui male cedat clementia, eius vires decori gloriaeque non futuras e silentio melius fortasse, quam si enuntiatum esset, coniecero. Inest autem nisi fallor, in eo, quod decet, etiam aliquid, quod debet, vel rursus: qui clementiae decus ac gloriam appetiverit, ei officium quoque clementiae servandum erit; contra, qui ab officio discesserit, etiam illorum dulcedine carebit. Hoc iam nunc indicare ex re mihi videtur.

Multum intra Romani imperii fines ab hominibus vel invitis peccari cuivis, ut contendit Seneca, manifestum est.<sup>1)</sup> Omnium peccatorum poenas invenire humanas superaret vires. Attamen privatis leges tueri, etiamsi nimis tristes sint nonnumquam, melius est, ne cuncta turbentur.<sup>2)</sup> Principi contra in hac re plura quam ceteris licent. „Servare proprium est excellentis fortunae, quae numquam magis suspici debet, quam cum illi contigit idem posse quod dis, quorum beneficio in lucem edimur tam boni quam mali." <sup>3)</sup> Re vera servare illud regem vel principem decet: libera enim est ei facultas servandi; is est, qui discrimen, quod inter bonos malosque observandum sit semper <sup>4)</sup>, tollere certis de causis possit, quia non superiori reddere rationem eum oporteat. Atqui ea servandi libertas principi communis est cum dis, quorum beneficio tam mali quam boni vitam debent. Quare ne miremur etiam alioquin cum dis comparari principem, <sup>5)</sup> ita vero, ut praeter decus rursus officio

<sup>1)</sup> *D. C.* I. 6. 8.

<sup>2)</sup> Vid. *D. C.* I. 2. 2.

<sup>3)</sup> *D. C.* I. 5. 7.

<sup>4)</sup> *D. C.* I. 2. 2.: „Non tamen volgo ignoscere decet; nam ubi discrimen inter malos bonosque sublatum est, confusio sequitur et vitiorum eruptio." Cf. etiam I. 5. 7, quocum Elias comparat Them. *Or.* XIX. p. 226D (supra, p. 84<sup>5</sup>).

<sup>5)</sup> De principe, qui deo sive mundi animo assimilatur, cf. Dorison l.l., p. 51—75.

locus suus attribuat, e.g. *D. C. I.* 19. 8—9: „Nec alio animo rectorem suum intuetur (civitas sc.), quam, si di immortales potestatem videndi sui faciant, intueamur venerantes colentesque. Quid autem? Non proximum illis locum tenet is, qui se ex deorum natura gerit, beneficus ac largus et in melius potens? Hoc affectare, hoc imitari decet, maximum ita haberi, ut optimus simul habere. <sup>1)</sup> Ceterum Senecae quoque persuasum erat principes, quoad sint mortales, maiori potentiae cedere, — sicut ipsorum subditos ita deorum ipsos clementiam invocare interdum. Propterea, postquam de peccandi studio generali disseruit, pergit ita <sup>2)</sup>: „Quoniam deorum feci mentionem <sup>3)</sup>, optime hoc exemplum principi constituam, ad quod formetur, ut se talem esse civibus, quales sibi deos velit.”

Priori omnia satis clare probare arbitror clementiam esse, quae deceat principem, decus autem illud etiam officii aliquid secum ferre. Ampliorem enim, quam ab aliis, clementiam exspectant homines ab eo, cui vitae necisque perpetua ferme potestas data est. Quippe ille, magis quam iudex, universa populi sui facta iudicabit; ac fieri non potest, quin ab illo, magis quam a iudice, ut ab omni ira et studio sit liber, petant subditi vel inferiores. Qua in re non tam suum cuique tribuendi quam eandem omnibus gratiam faciendi officium principum habendum est. Inspicias sis *D. C. I.* 1. 8—9: „Multa illos <homines sc.> cogunt ad hanc confessionem <se felices esse sc.>, qua nulla in homine tardior est: securitas alta, affluens, ius supra omnem iniuriam positum; obversatur oculis laetissima forma rei publicae, cui ad summam libertatem nihil deest nisi pereundi licentia. Praecipue tamen aequalis ad maximos imosque pervenit clementiae tuae admiratio; cetera enim bona pro portione fortunae suae quisque sentit aut exspectat maiora minoraque, ex clementia omnes idem sperant. Itaque, ut iustitia, sic clementia a maximis imisque exspectatur, sed illa, non dico dissi-

<sup>1)</sup> Inepte Elias (p. 57) hunc locum nec non *I. 5. 7.* comparat cum Isocr. *ad Nic.* 6. 20: „Τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς ποίει μὲν ὡς οἱ πρόγονοι κατέδειξαν, ἡγοῦ δὲ ψῦμα τοῦτο κάλλιστον εἶναι καὶ θεραπείαν μεγίστην ἂν ὡς βέλτιστον καὶ δικαιότατον σεαυτὸν παρέχης· μᾶλλον γὰρ ἐλπίς τοὺς τοιοῦτους ἢ τοὺς ἱερεῖα πολλὰ καταβάλλοντας πράξειν τι παρὰ τῶν θεῶν ἀγαθόν.” Haec enim continent, quid faciendum sit regi, ut dis placeat. Seneca contra non nisi hoc dicit: deorum similis sit princeps, ut quam optime populo suo consulat.

<sup>2)</sup> *I. 7. 1.*

<sup>3)</sup> *I. 6. 7.*

milia valore, attamen diversa tribuit, haec eandem gratiam omnibus." Denuo <sup>1)</sup> adnotetur: a iustitia differt clementia; haec ad mitiora inclinat, illud iustum est medium. Quodsi leges non semper quidem iustissimas esse, a iustitia tamen originem ducere ponamus, clementia usum principem ab ista declinare via statuamus necesse est. Atque videtur clementiae voce significare Seneca contrariam legibus in puniendo moderationem, ubi dicit <sup>2)</sup>: „Occidere contra legem nemo non potest, servare nemo praeter me." Ne confundamus diversa! „Legibus, postquam subrepentibus vitiis in tyrannidem regna conversa sint, opus esse coepisse" ipse contendit Seneca. <sup>3)</sup> Eodem loco sapientes quoque „inter initia" tulisse eas asseverat. Alias <sup>4)</sup> iusti iniustique regulam esse legem perhibet. Itaque clementiam laudando legibus obtrectare voluisse auctorem verisimile non est. Exstare tamen discrepantiam quandam nemo negarit. Praetermissa tamen antitheseos aviditate, qualem in omnibus Senecae operibus iterum atque iterum emicare notum est, <sup>5)</sup> vel haec constant: proprio sensu omnia, quae non fiunt iustitia, iniusta sunt putanda, sive minor sit peccatoris poena, sive maior. Ad litteram tamen haec accipienda esse cum alii negant tum Seneca, qui iustitiam assequi perdifficile censet <sup>6)</sup> inque rebus dubiis clementiam potius quam severitatem adhibendam esse arbitratur; praeter haec ei persuasum est semper fere accidere, ut exstent nonnulla vim criminis mitigantia, quorum rationem habere oporteat<sup>7)</sup>. Inde facile sequitur, ut principem civium, quippe cui tot arduae diiudicandae sint causae, utrumque ob argumentum maxime deceat clementia; is enim propter peccatorum multitudinem ad severitatem

1) Cf. supra, p. 49 sqq.

2) l. 5. 4.

3) *Ep.* 90. 6.

4) *De Ben.* IV. 12. 1.

5) Vid. A. Bourgerly, *Senèque prosateur*, p. 40 sqq.

6) *D. C.* I. 2. 2: „tam omnibus ignoscere crudelitas quam nulli. Modum tenere debemus; sed quia difficile est temperamentum, quidquid aequo plus futurum est, in partem humaniorem praeponderet."

7) *D. C.* II. 7. 2: „<Sapiens> aliquem verbis tantum admonebit, poena non afficiet aetatem eius emendabilem intuens; aliquem invidia criminis manifeste laborantem iubebit incolumem esse, quia deceptus est, quia per vinum lapsus; hostes dimittet salvos, aliquando etiam laudatos, si honestis causis pro fide, pro foedere, pro libertate in bellum acciti sunt." Cf. etiam *De Ben.* VII. 31. 4 (de dis agitur): „Errorem labentium animarum placidi ac propitii ferunt."

in poenis exigendis fortasse allici fastidio quodam posset; atque maiestatis crimen in multis etiam innocentibus haerere ipsum forsitan principem latuerit.

Sin autem verum est non solum omnes homines, noxios innocentesque, a clementia idem sperare <sup>1)</sup>, sed etiam neminem contra leges servare posse praeter principem, <sup>2)</sup> ipsius principis, quem decet, officium quoque habenda est clementia. Quod ut argute demonstret, principi opponit privatos, ita disserens <sup>3)</sup>: „Quantulum enim nocet privata crudelitas! Principum saevitia bellum est.” — Quid principis officium sit, clare accipimus e *D. C. I. 14*:

„Quod ergo officium eius est? quod bonorum parentium, qui obiurgare liberos non numquam blande, non numquam minaciter solent, aliquando admonere etiam verberibus. Numquid aliquis sanus filium a prima offensa exhereditat? Nisi magnae et multae iniuriae patientiam evicerunt, nisi plus est, quod timet, quam quod damnat, non accedit ad decretorium stilum; multa ante temptat, quibus indolem et peiore iam loco positam revocet; simul deploratum est, ultima experitur. Nemo ad supplicia exigenda pervenit, nisi qui remedia consumpsit. Hoc, quod parenti, etiam principi faciendum est, quem appellavimus Patrem Patriae non adulatione vana adducti.”

Caute, ut apparet, ac quasi timide officium principi proponit praeceptor stoticus: nec mirum, nam Neronis ingenium iam pridem veram ostendisse naturam suam nemini melius quam Senecae notum erat. Qua de causa prudenter cum patre comparat eum, ad Patris Patriae cognomen, quod propter aetatem recusaverat Nero <sup>4)</sup>, cursim alludens. Ceterum, quid velit, haud obscure ostendit, cum dicit <sup>5)</sup>; „Quid enim est stultius quam in iumentis quidem et canibus erubescere iras exercere, pessima autem condicione sub <homine> <sup>6)</sup>

1) *D. C. I. 8—9.*

2) *D. C. I. 5. 4.*

3) *D. C. I. 5. 2.* Ceterum tanta industria fortunam Neronis supra omnia extollit Seneca verbis, ut magis magisque non genti humanae, sed soli imperatori romano praecipere videatur. Alioquin saltem vixdum excusanda essent, quae sequuntur.

4) Suet. *Nero*, 8.

5) *D. C. I. 17. 1.*

6) Addidit Lipsius.

hominem esse?" Ac paulo post: „agat princeps curam non tantum salutis, sed etiam honestae cicatricis." 1)

Ex iis tamen, quae sequuntur, verbis manifestum fit praeter decus et officium clementiam quoque commendare principi auctorem, ad quod sensim transit, tertium. Nam proxima verba sequuntur haecce: „Nulla regi gloria est ex saeva animadversione (quis enim dubitat posse?), at contra maxima, si vim suam continet, si multos irae alienae eripuit, neminem suae impendit."

Itaque et gloriae tribuit suae aliquid princeps, dum clementem se praestat. Quam ut a decore discernamus curandum est: decus enim ad generalem principis fortunam attinet; iam aliquid officii latet; — gloria singulis principibus quasi accessio fortunae ac privatum quoddam meritum haberi potest.

Eiusmodi gloriam, quam cum alios tum principem arridere plane humanum est, paucis adhuc exemplis illustrare liceat. Primo 2) ultione opus non est, nam: „Ultio duas res praestare solet: aut solacium affert ei, qui accepit iniuriam, aut in reliquum securitatem." 3) Utramque autem abunde possidet princeps, fortuna sua ac potestate. Itaque nocere ei clementia nullis modis potest. Atque in iis quoque, quos sibi pares aliquando habuit, obtinuisse vitae necisque arbitrium ultio ipsa est. Vivi enim illi maiorem principi laudem praebent, quam si interfecti essent. 4)

Deinde „a duabus causis punire princeps solet, si aut se vindicet aut alium." 5) Atque alienam iniuriam prius ulciscendam esse adnotat Seneca 6); nec non difficiliorem putandam temperantiam, si ipse laesus sis quam si alius. Idcirco ita pergit 7): „Clementem vocabo non in alieno dolore facilem, sed eum, qui, cum suis stimulis exagitetur, non prosilit, qui intellegit magni animi esse iniurias in

1) D. C. I. 17. 2. Plura de hac ratione compositis vera reddendi verbis vid. A. Dorison, l.l. p. 114 sqq.

2) Apud Senecam secundum tenet locum.

3) D. C. I. 21. 1.

4) Cf. I. 9. 6, ubi Livia Augusto, quid L. Cinnae impingat, dubitanti, clementiam commendat: „Deprensus est; iam nocere tibi non potest, prodesse famae tuae potest."

5) D. C. I. 20. 1.

6) I. 20. 2: „Illum hortamur, ut manifeste laesus animum in potestate habeat et poenam, si tuto poterit, donet, si minus, temperet longaeque sit in suis quam in alienis iniuriis exorabilior."

7) I. 20. 3.



summa potestate pati nec quicquam esse gloriosius principe impune laeso." Ubi verba „in summa potestate" singularem illam clementiae significationem proferunt, quam postea in secunda definitione <sup>1)</sup> verbis „superioris adversus inferiorem" reddidit Seneca. <sup>2)</sup>

Nec iniuria id ipsum inter gloriae causas numeratur, quod tunc vero vicisse iure dicitur homo, cum ipse se vicerit. „Magni animi proprium est placidum esse tranquillumque et iniurias atque offensiones superne despicere." <sup>3)</sup>

Unum addere velim exemplum, quo appareat, cuiusmodi gloriae genere imbuere alumnum suum cupierit Seneca. Initio enim opusculi sui tamquam praemia virtutis discipulo probare conatur philosophus <sup>4)</sup>: „Non perdit operam nec bonitas ista tua singularis ingratos aut malignos aestimatores nancta est. Refertur tibi gratia; nemo unus homo uni homini tam carus umquam fuit, quam tu populo Romano, magnum longumque eius bonum." Qui haec atque talia ex adulandi studio nata esse arbitrantur, hoc unum, ut opinor, neglexere, quod non tantum futurae gloriae praedictione, sed etiam anteacti temporis factorum aestimatione quadam ad temperantiam impellendus erat Nero. Ante omnia tamen necesse fuit operae pretium ac contentione dignam ei videri suppositam imperandi rationi clementiam. Metuendi enim suberat copia, ne gravius esset iuvenis ferocis humeris onus illud permagnum neve post breve tempus nimis humana erumperent vitia, propter quae exolesceret populi Romani admiratio; quamobrem occupare alumnum suum caute conatur Seneca, dum simulationis simul pericula <sup>5)</sup> ante oculos ponit ei, praeceptor benevolus nec non futuri providens. Quod quam necessarium esset, res ipsae postea aperuerunt.

Ob causas supra allatas manifestum fuerit praeter decus, officium, gloriam alterius iam rei auxilium invocasse praeceptorem peritissimum; cuius rei testimonia afferunt loci sequentes.

<sup>1)</sup> II. 3.

<sup>2)</sup> Vid. I. 5. 4.: „Cum videamus immensam principis potentiam, mirabilior in eo quam in ceteris mortalibus clementia nobis erit."

<sup>3)</sup> D. C. I. 5. 5.

<sup>4)</sup> D. C. I. 1. 5.

<sup>5)</sup> Cf. D. C. I. 16: „Nemo enim potest personam diu ferre, ficta cito in naturam suam recidunt; quibus veritas subest quaeque, ut ita dicam, ex solido enascuntur, tempore ipso in maius meliusque procedunt."

## C. Clementem se praestare principi utile est.

Utilitatis in mentem venire nobis, cum de clementia cogitamus atque agimus, haud ita veri simile videtur. Nec stoica doctrina virtutibus praeponenda sunt utilia, omnes licet virtutes aliquid utile contineant; honesta nihilominus ante omnia sit virtus quaelibet. Plus, ut videtur, exigit ab homine quam donat nec admirationem movent Senecae verba: „Cui curae sunt universa, qui alia magis, alia minus tuetur, nullam non rei publicae partem tamquam sui nutrit, inclinatus ad mitiora, etiamsi ex usu est animadvertere. . . ., a tota civitate amatur, defenditur, colitur.”

Cum autem ex utilitate ducere originem clementiam necessarium non sit, utilitatis tamen nonnihil efficere potest — sicuti Stoicorum disciplina virtutis neque causa est neque finis voluptas, voluptatem tamen quandam facit etiam sapienti vita virtutibus honestata.<sup>1)</sup> Eiusmodi utilitatis saepius in „De Clementia” libris fieri mentionem ne valde miremur: duplex enim in Senecae animo metuendi est causa. Per magna est multitudo hominum imperii Romani fines incolentium: veretur ne nimis multi indicta causa damnati pereant. At Neronis quoque potentia nimia est; imminet periculum ne consilium multis parcendi iraeque cohibendae exacerbet principem dignitati suae ac saluti iuxta timentem.<sup>2)</sup> Hanc puto causam, cur utilitatem clementiae comitem Neroni identidem ante oculos posuerit Seneca.

A gloria autem, de qua egimus supra, ad utilitatem exstat transitio vel ita, ut gloria pernotescat clemens princeps idque ipsum utile ei ac quasi lucrum evadere possit. Non solum gloriae sed etiam commodi cupidinem Neroni inicere student haec verba<sup>3)</sup>: „Quibusdam libenter parcas, a quibusdam te vindicare fastidias et non aliter quam animalibus parvis sed obterentem inquinantibus reducenda manus est; at in iis, qui in ore civitatis servati punitique erunt, occasione notae<sup>4)</sup> clementiae utendum est.”

Etiam, quae de divo Augusto afferuntur, exempla utilitatem

1) Cf. *Ep.* 116. 3: „voluptatem natura necessariis rebus admiscuit, non ut illam peteremus, sed ut ea, sine quibus non possumus vivere, gratiora nobis illius faceret *accessio*.”

2) Illa, mea quidem sententia, legenti *D. C.* I. 11 et 12 cogitanda sunt.

3) *D. C.* I. 21. 4.

4) I. e. qua noscatur (Ammendola).

docent. Inter quae principem locum obtinet *D. C. I. 9*, ubi Augusti L. Cinnam, insidiatorem suum, damnaturi describitur dubitatio. Etenim cupiditas illic ulciscendi reprimatur cogitatione tali (§ 5): „Quid vivis, si perire te tam multorum interest? quis finis erit suppliciorum? quis sanguinis? Ego sum nobilibus adulescentibus expositum caput, in quod mucrones acuunt; non est tanti vita, si, ut ego non peream, tam multa perdenda sunt.”<sup>1)</sup> Ecce solutionem praebet uxor prudens, quod est severitati contrarium ei suadens: clementiam. Atque addit: „Deprensus est; iam nocere tibi non potest, prodesse famae tuae potest.” Coniugi concedit princeps Cinnamque hunc ferme in modum alloquitur, ut sua erga eum beneficia commemoret — haud sane ignorans per totius vitae spatium devinctum sibi futurum Cinnam absolutum. Quod quam prorsus differat a vulgari lucri studio, asseverare me non fuerit necesse; stultorum arrogantiae talis clementia pessime cedit. Attamen utilitatis fibram in Augusti quoque animo tunc temporis latuisse pro certo habere licet.

Eiusdem rei alterum exemplum praebet *D. C. I. 10. 1*, ubi commemoratis aliis clementer ab Augusto tractatis legimus: „Ipsam Lepidum quam diu mori passus est! per multos annos tulit ornamenta principis retinentem et pontificatum maximum non nisi mortuo illo transferri in se passus est; maluit enim illum honorem vocari quam spoliū. Haec eum clementia ad salutem securitatemque perduxit.” Ita est: periculum a Lepido vix erat timendum; clementiam adeptus beneficiorum auctori laudem, salutem, utilitatem erat comparaturus.

Ipsi praeterea regi convenire eam utilitatem facile cognoscimus: acrius enim iniuriam sibi illatam ulciscitur privatus: dubitaverint homines num audeat, num possit. Princeps omnia potest — nihil non audet; clementiam exercebit salva maiestate. Quae Neroni ita praecipuntur<sup>2)</sup>: „Facilius privatis ignoscitur pertinaciter se vindicantibus; possunt enim laedi dolorque eorum ab iniuria venit; timent praeterea contemptum, et non rettulisse laedentibus gratiam

---

<sup>1)</sup> Haec animi condicio aegritudo est mera, quae, nisi fallor, ad misericordiam aliquatenus accedit: miserabiles enim visos esse ei tot viros damnatos maestae Augusti dubitationis principium fuisse verisimile puto. -

<sup>2)</sup> *D. C. I. 7. 3.*

infirmetas videtur, non clementia; at cui ultio in facili est, is, omiffa ea, certam laudem mansuetudinis consequitur.”<sup>1)</sup>

Iam audita est vox securitatis<sup>2)</sup>: nam ea est, quam praeter utilitatem largitur clementia, ut expressis verbis asseueratur *D. C. I. 11. 4*: „Clementia non tantum honestiores sed tutiores praestat, ornamentumque imperiorum est simul et certissima salus,” nec non *D. C. I. 13. 1*: „Placido tranquilloque regi fida sunt auxilia.” Neque solum exercitus, etiam cives tractati clementer „obicient se pro illo mucronibus insidiantium paratissimi” e. q. s.<sup>3)</sup> Incolumitatis huius causa prodit *I. 8. 6*: „Regibus certior est ex mansuetudine securitas, quia frequens vindicta paucorum odium opprimit, omnium irritat.” Idem dicunt haec verba<sup>4)</sup>: „Verecundiam peccandi facit ipsa clementia regentis.” Cuncta, ut apparet, eo spectant, ut princeps ac populus alter alteri quam sint obnoxii appareat; quod ita exprimitur<sup>5)</sup>: „Vides, ut puto, quam necessaria sit clementia; tibi enim parcis, cum videris alteri parcere.”

Postremo quietem quoque principi praestat clementia, quippe quae timorem ei adimat. Rex tyrannusve contra numquam non metu caret, nam „tantum necesse est timeat, quantum timeri voluit,”<sup>6)</sup> et manus omnium observet et eo quoque tempore, quo non captatur, peti se iudicet nullumque momentum immune a metu habeat.”

Comparatis inter se prioribus locis statuere licet clementiam virtutem esse regiam, quae varia afferre soleat regenti: decus, officium, gloriam — utilitatem, securitatem, quietem.<sup>7)</sup> Omnino discerni

<sup>1)</sup> Cum hoc loco Elias (l. l. p. 75) comparat Dio C. 55. 17. 3: „καὶ συγγνώμη δοθεῖσα καὶ τὸν πᾶν ἄρασιν διαχεῖ, καθάπερ ἡ τιμωρία καὶ τὸν πᾶν πρῶτον χαλεπαίνει.” Comparandi causa me quidem fugit.

<sup>2)</sup> *D. C. I. 10. 2.*

<sup>3)</sup> *D. C. I. 3. 3.*

<sup>4)</sup> *D. C. I. 22. 3*; cf. *De Ben. III. 16. 1*: „Pudorem rei tollet multitudo peccantium.”

<sup>5)</sup> *I. 5. 1.*

<sup>6)</sup> Haud fortuito apud Senecam una versari decus, gloriam, utilitatem demonstrat Tac. *Dial. 5. 7.*, ubi perhibet Aper prae arte rhetorica „non aliud. . . . ad utilitatem fructuosius <vel ad voluptatem dulcius> vel ad dignitatem amplius vel ad urbis famam pulchrius.” Nam fama dici potest pro gloria (cf. 7. 4), dignitas pro decore. Voluptatem evitasse potius Senecam non admodum est mirum.

<sup>7)</sup> De hac antithesi conferantur, quae scripsit Gudeman ad Tac. *Dial. 13. 6*. Etiam Plin. *Paneg. 35. 3*; 46. 8.

omnia illa quamquam vix possunt, duo tamen e toto numero quasi prosiliunt. Nam primo nonnulla a principe exspectat atque postulat clementia — deinde ultro ei donat atque pollicetur. Quocum si contulerimus iudicium illud, quod invenitur *D. C. II. 5. 1.*: „Misericordia non causam, sed fortunam spectat; clementia rationi accedit”, clarior erit fortasse totius clementiae condicio. Etenim quae rationi <sup>1)</sup> accedit virtus, in ea consilium plus valebit, non solum quod ad causam et reum, verum etiam quod ad ipsum pertinet principem iudicemve. Nam utriusque virtus existimatur clementia et uterque, quotiens ratione ac consilio utitur, misericordiam damnabit, clementiam eliget. Id igitur, quod e definitionibus deducere conati sumus supra <sup>2)</sup>, collatis singulis locis denuo apparet: clementiam esse medium inter misericordiam et iustitiam eiusque condicionis signa prae se ferre.

#### D. Quales clementem virum maneant difficultates.

Cum clementia, qualis supra descripta est, difficultates quaedam coniunctae sunt, quae Senecam quoque extollentem virtutis huius splendorem haudquaquam fugisse videntur. Quod male aut simulate adversus inferiores clementia uti possint superiores, hoc loco disserere supersedeo, quoniam huius disputationis argumentum nonnisi oblique tangit. <sup>3)</sup>

Clementiae autem, sicut doctrinae stoicae inserit eam Seneca, imperfecti haeret aliquid: nonne is, qui clementiam in exigenda poena adhibet, iustitiae detrectat? Haec enim illi est vicina atque, ubi dictum est clementiae cum severitate, virtute et ipsa, veluti cum imagine speculo repercussa, convenire — et ipsi, ne longius a iusto illo medio, quae est iustitia, abscedat cavendum erit. Quod

<sup>1)</sup> Aliter se habet res apud Q. Metellum Celerem, qui obicit Ciceroni (*ad Fam. 5. 1.*): „Quae quoniam nec ratione nec maiorum nostrorum clementia administrastis, non erit mirandum, si vos paenitebit.” Hic enim voce clementia id fere exprimitur, quod Germani vocant „Staatsraison”. Vid. Fraenkel, *Hermes* 67. p. 385, ubi conferuntur Cic. *p. Rosc.* 154; *p. Marc.* 8; Tac. *Ann.* 12. 20. Norden *ad Aen.* VI. 2. ed. p. 336.

<sup>2)</sup> supra p. 51.

<sup>3)</sup> C. Iulii Caesaris clementiam simulatam fuisse negat H. Dahlmann, l.l. p. 23—24, ubi confertur Sen. *D. C. I. 1. 6.*: „Nemo enim potest personam diu ferre.” Aliter quidem censet Cic. *ad Att.* VIII. 16. 2: „huius <sc. Caesaris> insidiosa clementia delectantur.”

saltem vitium, dicet aliquis, natura sua, ut est prona ad deliberationem tranquillam, evitabit clementia.<sup>1)</sup> At nonne, cum e poena merita remittitur aliquid, iis, qui illam meriti sunt poenam, melior vel certe opportunior quam ceteris tribuitur locus? Unde consequi posset primo, ut alii, innocentes bonique scilicet homines, eius virtutis egerent auxilio, — deinde, ut omnino nimia lenitate tractarentur noxii.

Quibus ita respondet Seneca<sup>2)</sup>: „Esse autem aliquos scio, qui clementia pessimum quemque putent sustineri, quoniam nisi post crimen supervacua est et sola haec virtus inter innocentes cessat”. Clementiam autem etiam ab innocentibus invocari posse interdum iam antea Senecae verbis monstrare studui.<sup>3)</sup> Restat, ut statuamus clementiam, ab homine integro recte adhibitam, contra ius fasque agere non posse lenitatemque erga noxios<sup>4)</sup>, sive sint inimici, sive hostes publici, sive externi, propterea sanctam ratamque esse putandam.

Providit contradictiones Seneca, cum post eximiam clementiae laudem ita pergat<sup>5)</sup>: „Non tamen volgo ignoscere decet: nam ubi discrimen inter malos bonosque sublatum est, confusio sequitur et vitiorum eruptio; itaque adhibenda moderatio est, quae sanabilia ingenia distinguere a deploratis sciat. Nec promiscuam habere ac vulgarem clementiam oportet nec abscisam; nam tam omnibus ignoscere crudelitas quam nulli. Modum tenere debemus; sed quia difficile est temperamentum, quicquid aequo plus futurum est, in partem humaniorem praeponderet.” — Itaque periculum nimis largae clementiae praevertere voluisse auctorem nemo non concedet. Equidem operae pretium est animadvertere, quomodo illud eius sententia fieri oporteat. In exercenda clementia, quae et ipsa moderatio appellatur, adhibenda est moderatio, quae ingenia sanabilia sive corrigenda a deploratis sive perditis distinguat. Clementia scilicet, quae moderate potentia uti iubet principem iudicemve,

1) *D. C.* II. 5. 1.

2) *D. C.* I. 2. 1.

3) *Supra* p. 85.

4) Cf. *Cic. in Cat.* I. 2. 4: „Cupio, patres conscripti, me esse clementem, cupio in tantis rei publicae periculis me non dissolutum videri, sed iam me ipse inertiae nequitiaeque condemno.”

5) I. 2. 2.

ipsa perinde teneat modum: sin minus id ageret, fieri posset, ut provinciam excederet suam parcendoque alteri hominum parti alteri noceret — aut invicem paucioribus parcendo alios multos exacerbaret ideoque ad flagitia impelleret.

Praesentius autem quam secundum videri primum periculum ostendunt verba: „tam omnibus ignoscere crudelitas quam nulli”; nulli ignoscere crudele putant plerique — pauci omnibus ignoscendi crudelitatem perspiciunt.<sup>1)</sup> Quae cum ita sint, pro temperamenti difficultate tamen additur quicquid aequo plus futurum sit, in partem humaniorem praeponderare debere. Ceterum cogitemus hoc loco aequum non idem esse atque iustitiam,<sup>2)</sup> sed illo vocabulo significari ipsam eam moderationem<sup>3)</sup>, qua in adhibenda clementia maxime opus esse cognovimus.

Priora nos docent, nisi fallor, clementiam (i. e. virtutem vel insigne animi sibimet ipsi moderantis), etiamsi integro adhibeatur consilio, minus moderatae, vel potius minus aequae actionis initia secum ferre nonnumquam. Atqui haec forsitan fuerit causa, cur tam crebris tamque instantibus argumentis, quanta sit virtus, ostendere conatus sit philosophus humani generis salutis numquam incuriosus.

#### E. Misericordia et clementia miscentur.

„Modum tenere debemus; sed quia difficile est temperamentum, quidquid aequo plus futurum est, in partem humaniorem praeponderet.” — Tertio huius libelli capite<sup>4)</sup> satis demonstrasse mihi videor severitatem et clementiam inter se comparans hanc ab altera, ab altera illam stare iustitiae parte; severitatem sive inclinationem ad duriora, in crudelitatem transire posse, — clementiam, sive inclinationem ad mitiora, in misericordiam; ergo clementiam esse medium inter iustitiam atque misericordiam.<sup>5)</sup> Verba supra allata clare ostendunt satis facilem esse a clementia ad misericordiam

1) Quod quamvis Neronis praecipue gratia dictum sit, ad universum tamen genus humanum pertinere pro certo habendum arbitror. Huc etiam, quae sequuntur, spectant.

2) Nam, qui clementia utitur, iustitiam ut nimis „tristem” reliquit.

3) „Nella difficoltà di serbare il giusto mezzo tra l'habere promiscuam ac volgarem clementiam o abscisam, è preferibile, dovendosi sbagliare, sbagliare nel concedere, piuttosto che nel negare la clemenza.” (Ammendola).

4) Supra p. 48 sqq.

5) Comparata cum iustitia sensum inducit clementia, cum misericordia rationem.

transitionem; cuius quidem rei testimonium praebeat e Senecae operibus desumptus unus alterve locus.

In eo dialogo, qui Consolatio ad Polybium inscribitur, a Claudio principe clementiam exspectare sese profitetur Seneca exsul, atque inter alia haec dicit<sup>1)</sup>: „Qualem volet esse, existimet causam meam; vel iustitia eius bonam perspiciat vel clementia faciat bonam: utrumque in aequo mihi eius beneficium erit, sive innocentem me scierit esse, sive voluerit. Interim magnum miseriarum mearum solacium est videre misericordiam eius totum orbem pervagantem.” Et paulo post: „Ipse autem optime novit tempus, quo cuique debeat succurrere; ego omnem operam dabo, ne pervenire ad me erubescat. O felicem clementiam tuam, Caesar, quae efficit, ut quietiorem sub te agant vitam exules, quam nuper sub Gaio egere principes.” — Clementia, aliter quam iustitia, exsulis causam fecerit bonam; ad hanc autem clementiam ducit principis miseria cognoscentis misericordia. Hic sine dubio miscentur notiones, quamvis misericordiae voce plura contineri etiamnunc appareat. Verba denique „ipse optime novit tempus” probant clementiam, etsi discesserit a iustitia, non, ut misericordiam, fortunam, sed causam semper spectare ideoque rationi etiamnunc accedere<sup>2)</sup>.

Tam facilis interdum a clementia in misericordiam esse transitio videtur, ut omissa clementia inter iustitiam misericordiamque distinguatur, e. g. *De Ben.* III. 7. 5: „Melior videtur condicio causae bonae, si ad iudicem quam si ad arbitrum mittitur, quia illum formula includit et certos, quos non excedat, terminos ponit, huius libera et nullis adstricta vinculis religio et detrahere aliquid potest et adicere et sententiam suam non prout lex aut iustitia suadet, sed prout humanitas aut misericordia impulit, regere.” Humanitatis notio generalior est, quam ut pro clementia adhibita esse possit. Misericordia autem etiam hoc loco haud ambigue reicitur: iustitia suadet, misericordia impellit — illa formulam servat, haec neglegit. At clementia quoque liberum habere arbitrium dicitur neque sub formula, sed ex aequo et bono iudicare<sup>3)</sup>. Vergit igitur in misericordiam.<sup>4)</sup>

1) *Ad Pol.* 13. 3.

2) *D. C.* II. 5. 1.

3) *D. C.* II. 7. 3.

4) Cum hoc loco satis bene congruit Tac. *Hist.* II. 63 (Corn. Dolabellam premit amicus suus Flavius Sabinus, falso crimine): „Nec ullis tantorum criminum



Invicem misericordia ad clementiam accedit, ubi Neronem de sua ipsius imperandi ratione disserentem ponit Seneca <sup>1)</sup>: „Severitatem abditam, at clementiam in procinctu habeo; sic me custodio, tamquam legibus, quas ex situ ac tenebris in lucem evocavi, rationem redditurus sim. Alterius aetate prima motus sum, alterius ultima; alium dignitati donavi, alium humilitati; quotiens nullam inveneram misericordiae causam, mihi peperi.” — Ceterum rursus vigente clementia misericordia post siparium versatur: primas clementia agit partes.

Vixdum interesse inter duas illas notiones coniectaveris *De Ben.* VI. 29, ubi haec leguntur: „Naturam per se pronam ad misericordiam, humanitatem, clementiam irritet ac provocet turba gratorum.” Deest autem singularum aestimatio idque unum ferme concludendum est iterum: hae duae propinquae sunt.

Quod si verum est, non iam mirabimur Stoicos veteres auctore Diogene Laertio <sup>2)</sup> uno ordine habuisse clementiam misericordiamque. Bene etiam significat propinquitatem Taciti locus <sup>3)</sup> dignus, qui totus memoretur: „Contra M'. Lepidus in hunc modum exorsus est: „Si, patres conscripti, unum id spectamus, quam nefaria voce Clutorius Priscus mentem suam et aures hominum polluerit, neque carcer neque laqueus, ne serviles quidem cruciatus in eum suffecerint, Sin flagitia et facinora sine modo sunt, suppliciiis ac remediis

---

probationibus in paenitentiam versus seram *veniam* post scelus quaerebat. Cunctantem super tanta re Flavium Sabinum Triaria L. Vitellii uxor ultra feminam ferox terruit, ne periculo principis *jamam clementiae affectaret*. Sabinus suoapte ingenio mitis, ubi formido incessisset, facilis mutatu et in alieno discrimine sibi pavens, ne adlevasse videretur, impulit.” — Sabinus autem, si servavisset reum, non tam clemens quam misericors fuisset; quamobrem primo non clementiam seram, verum *veniam* quaerebat. Attamen misericordiam eius in crudelitatem vertit timor; quod fieri solet auctore Caesare, *B. G.* VII. 26. i.f.: „Plerumque in summo periculo timor misericordiam non recipit.”

<sup>1)</sup> *D. C.* I. 1. 4.

<sup>2)</sup> VIII. 123: „Ἐλεήμονάς τε μὴ εἶναι συγγνώμην τε ἔχειν μηδενί· μὴ γὰρ παριέναι τὰς ἐπιβαλλούσας ἐκ τοῦ νόμου κολάσεις (ἐπεὶ τὸ γε εἶκναι καὶ ὁ ἔλεος αὐτῆ τε ἡ ἐπιείκεια οὐδεμία ἐστὶ φυγῆς πρὸς κολάσεις προετοιμουμένη χρηστότητα) μηδὲ οἶσθαι σκληροτέρας αὐτὰς εἶναι.

Non magis Demosth. 25. 81. distinguit, cum dicit reum sperare ἔλεον, συγγνώμην, φιλανθρωπίαν.

<sup>3)</sup> *Ann.* III. 50: Clutorius Priscus ob carmen, quo Germanici exitum cecinerat, tamquam ante mortem illius esset scriptum, accusatus, ad supplicium flagitatus est.

principis moderatio<sup>1)</sup> maiorumque et vestra exempla temperant, et vana a scelestis, dicta a maleficiis differunt, est locus sententiae, per quam neque huic delictum impune sit et nos *clementiae* simul ac severitatis non paeniteat. Saepe audivi principem nostrum conquerentem, si quis sumpta morte *miseritordiam* eius praevenisset. Vita Clutorii in integro est, qui neque servatus in periculum rei publicae neque interfectus in exemplum ibit. Studia illi, ut plena vaecordiae, ita inania et fluxa sunt; nec quicquam grave ac serium ex eo metuas, qui suorum ipse flagitiorum proditor non virorum animis sed muliercularum adrepat. Cedat tamen urbe et bonis amissis aqua et igni arceatur: quod perinde censeo ac si *lege* maiestatis teneretur.”” — Unde, nisi fallor, tria consequuntur: princeps, si periculo eripit damnatum (innocentem plerumque!), misericors vocatur; — sin maiore vel minore crimine reo poenae remissionem concedit, clemens dicitur; — hoc salva lege fieri potest.

Sed omnium fortasse rectissime misericordiae ac clementiae rationem indicat Cicero, ubi Academicorum refert doctrinam<sup>2)</sup>: „Legimus omnes Crantoris, veteris Academici, de luctu; est enim non magnus, verum aureolus, et, ut Tuberoni Panaetius praecipit, ad verbum ediscendus libellus. Atque illi quidem etiam utiliter a natura dicebant permotiones istas animis nostris datas: metum cavendi causa; misericordiam aegritudinemque clementiae;” e. q. s.<sup>3)</sup> — Nos autem, si penitus Stoicorum animos inspicere liceret, idem fortasse iudicarem.

Ac tamen dubium non est, quin Stoici integrum servaverint discrimen et quam possent maxime protulerint. Seneca, cum hominem beneficia sibi dare posse negat, hunc in modum loquitur: „Itaque nec liberalis est, qui sibi donat, nec clemens, qui sibi ignoscit, nec misericors, qui malis suis tangitur; quod aliis praestare liberalitas est, clementia, misericordia, sibi praestare natura est.” Vir clemens eo licet facilitatis venire possit, ut ignoscat — tangitur malis alienis nemo nisi misericors homo.

Quocum conferre ne praetermiseris Tac. *Ann.* XII. 36/37. Captus est Caratacus, princeps Britannorum: „„Ceterorum preces dege-

<sup>1)</sup> I. e. clementia, quae moderatio audit *D. C.* II. 3. 2.

<sup>2)</sup> *Acad.* II. 135.

<sup>3)</sup> Cf. supra pp. 56 et 74.

neres fuere ex metu: at non Caratacus aut vultu demisso aut verbis misericordiam requirens, ubi tribunal adstitit, in hunc modum locutus est. (37) „... Si statim deditus traderer, neque mea fortuna neque tua gloria inclaruisset; et supplicium mei oblivio sequeretur: at si incolumem servaveris, aeternum exemplar clementiae ero.” — Itaque dux ille hostium captus non captat misericordiam, non rogat victores, ut sua gratia in animum admittant aegritudinem — attamen clementia, quippe quae deceat victores, se dignum esse censet. Atqui plus, quam exspectare posset, impetravit: „Caesar veniam ipsique et coniugi et fratribus tribuit.”

Principis autem est eiusmodi mansuetudinem victis tribuere. Vulgus enim clemens se praestare nescit: aut est crudele aut misericors. Quod inter alia multa probat Tac. *Hist.* I. 69: (De Helvetiorum legatis supplicium sumere volunt milites Romani; quorum animos Cossus quidam rexit): „Mox, ut est vulgus mutabile subitis, tam proni in misericordiam, quam immodici saevitia fuerant, effusis lacrimis et meliora constantius postulando impunitatem salutemque civitati impetravere.” Hac in re haud quidem rationem vicisse pro certo habere licet.<sup>1)</sup>

Omnino abesse constat misericordiam *De Ben.* III. 27. 3 (Rufus quidam inter cenam maledixit Caesari Augusto; auctore servo ipse rem defert principi petitque ut sibi ignoscatur): „Cum dixisset se Caesar facere: „Nemo, inquit, credet te mecum in gratiam redisse, nisi aliquid mihi donaveris,” petitque non fastidiendam a propitio summam et impetravit. Caesar ait: „Mea causa dabo operam, ne umquam tibi irascar.” Honestè fecit Caesar, quod ignovit, quod liberalitatem clementiae adiecit.”

Iam alius exstat apud Senecam locus, ubi integra prodire clementia videtur: *De Ben.* III. 23. 3. Duo servi ad hostem transfugerunt, ut postea capta urbe dominam suam quasi trucidaturi revera a victorum ira vindicarent: „Manu misit utrumque e vestigio illa nec indignata est ab his se vitam accepisse, in quos vitae necisque potestatem habuisset. Potuit sibi hoc vel magis gratulari; aliter enim servata munus<sup>2)</sup> notae et vulgaris clementiae habuisset, sic servata nobilis

<sup>1)</sup> Cf. Liv. 24. 26. 14.

<sup>2)</sup> „munus: minus (i erasa?) cod. N” (Préchac). Tum autem non minus clementiae, sed omnino nullam clementiam habuisset: nemo enim esset puniendus. Ceterum secundum illud „habuisset” suspectum puto.

fabula et exemplum duarum urbium fuit." Si aliter (i. e. ab isdem servis) servata fuisset, munus <sup>1)</sup> habuisset ita, ut clementiae famam sibi comparasset. Equidem eiusmodi clementia aliud nihil fuisset quam gratus animus. <sup>2)</sup> Nunc, cum servos, qui delinquendo servaverant eam, dimitteret, verae clementiae nomen est adepta.

Capite quarto demonstrare conati sumus misericordiae, etiamsi a Stoicis damnetur, id unum, quamquam tarde ac plerumque tacite, permissum esse, ut ad *factum* nobile vel humanum pertineat. Vocabulum semper fere vitare eos, dicere potius „generis humani amorem” <sup>3)</sup>, „benignitatem ac lenitatem” <sup>4)</sup>, clementiam. Huic ultro suam quidem evenire provinciam. Quoad autem a misericordia nonnumquam ducat originem, esse clementiam actuosam ac certos in casus translatae misericordiae speciem.

Iam tertio diximus capite misericordiam auctore Seneca, magis quam clementiam, universam animi inclinationem esse, quippe quae non solum in exigendis poenis, sed in omni cum laborantibus consuetudine emicare soleat. Stulti quidem, ut apparuit, misericordiam extirpare nondum valent; clementiam autem cum exercent, misericordiae genere moventur vel ita, ut primo misereantur, deinde — prout profecerint — cito tardeve clementiae beneficium reddant.

Sapiens vero misericordia caret omni <sup>5)</sup>; clementiam — nonnisi in poenis exigendis — iis praestabit, quorum causam pro sua peritia plane perspexerit atque approbaverit, quorumque peccata humanis nata erroribus esse intellexerit. Ac profecto tam perfecta animi condicio, etsi vixdum assequi umquam potuerit homo, Stoicis tamen philosophis summi boni numquam non exstitit finis.

<sup>1)</sup> „Effet heureux” (Préchac).

<sup>2)</sup> „Sauvée d’une autre manière, ce n’eût été qu’un acte de bonté ordinaire; au lieu qu’elle acquit par là de la célébrité.” (La Grange).

<sup>3)</sup> D. C. I. 11. 2.

<sup>4)</sup> D. C. II. 5. 3.

<sup>5)</sup> Cf. adhuc A. Posselt, l.l. p. 76.

## CAPUT VI.

### QUID CONTRA STOICOS DE MISERICORDIA CENSUERINT CHRISTIANI QUIDAM SCRIPTORES.

Propositum suscipienti opusculum in animo mihi erat misericordiae clementiaeque rationem atque usum in Senecae praecipue operibus demonstrare. Quod ut peragerem, veterum quoque ac mediorum Stoicorum de hac re doctrinam praetermittere non poteram, ne parum esset manifestum, quo ex fonte hausisset quibusque principiis nisus esset aetatis Neronianae philosophus ille. Clementiae notio qualis apud Senecae praecessores occurrat, iam conscripserant alii<sup>1)</sup>; eam autem, quae misericordiam complectitur, disciplinam nonnisi obiter plerumque tetigerant. Quamobrem hanc altius nonnihil scrutatus illam tertio demum capite iuxta misericordiam introducendam putavi.

Cognitionis haec fuit summa: Stoici priores misericordiam animi putant aegritudinem, quae a naturalibus motibus profecta his ipsis nimis indulgendo contrahatur<sup>2)</sup>; aegritudinis eius causam dicunt malum alienum iniuria laborantis<sup>3)</sup>; postremo misericordiam in iudice praecipue vituperandam esse censent.<sup>4)</sup> Horum iudicii assensus tunc vero hanc rem ratione et via tractat Seneca, cum clementiae naturam nota illa disputatione diligentius persequi studet. Clementia autem principi (cui et ipsi iudicis identidem agenda sunt partes) ante omnes commendatur: atque ita fit, ut non modo clementiam adhibendam, verum etiam misericordiam evitandam principi suo, multorum causas iam iam iudicaturus, praecipit Seneca; quod tamen non impedit eum, quominus generalem quoque huius affectus

1) Cf. A. Elias, I.I. p. 19 sqq.

2) Vid. supra p. 12.

3) Vid. supra p. 13.

4) Vid. supra p. 16.

depingat partem. Atqui ex hoc dialogo nec non e ceteris Senecae scriptis apparet misericordiam ab eo, perinde atque ab aliis philosophis stoicis, multis damnari quidem verbis — in scio tamen ipso quasi permanere interdum et ad verba aut actiones exiguum quoddam habere momentum. Quod si verum est, clementia vocari posset misericordiae *certos ad casus adhibitae species*. — Constat nihilominus hoc, quod in hac re animi conditioni praeponitur factum quodque vir sapiens animi aegritudine liber esse omnino valet ita, ut clementiae — ac misericordiae <sup>1)</sup> quoque — bona facta tranquilla mente exsequatur. <sup>2)</sup>

Cum autem ii, qui Senecae successerint Stoici, quales sint Musonius Rufus, Epictetus, Marcus Aurelius Antoninus, de quaestione proposita quantum ex operum reliquiis iudicare nobis licet — haud multum novi attulerint. <sup>3)</sup> — ad finem perducta esset disputatio nostra, nisi exstarent testimonia quaedam ob ipsarum naturam commemoratione certe digna. Falsa de consilio nostro ne nascatur opinio, praedicenda haec sunt: quae umquam ad defendendam aut ad refellendam Stoicorum doctrinam sunt adducta, ea comprehendere nobis in animo non est neque id facere possumus: multo maioris ac velut immensi operis esset munus. Sed iuvat eorum, qui christianam professi sunt fidem, aliquot cognoscere iudicia — primo ut appareat scriptoribus illis digna visa esse, quae redarguerent, Stoicorum praecepta; deinde, ut statuamus, cuiusmodi sint illa, quae Stoicis obiciantur. Ipsos autem christianos auctores hanc ob causam elegi, quod post Stoicos primi ab omnino diversis profecti principiis misericordiae doctrinam instituere sunt conati. <sup>4)</sup>

Quae igitur, quod ad nostrae disputationis attinet argumentum, factae sunt mutationes, dum „magnus ab integro saeculorum nascitur ordo“? Primo cuncta in posterum postposita philosophia e religione pendent. Quae antiquis praeceperat sapientium contemplatio ac studium, ea tamquam nimis humana nunc spernuntur: viam monstrabit fides eiusque fontes. Quamobrem absurdum putaverit

<sup>1)</sup> I. e. quae apud stultos misericordia nasci solent.

<sup>2)</sup> Vid. supra, Cap. V, E.

<sup>3)</sup> Vid. Bonhöffer I. p. 305—307; Elias I. I. p. 26—37.

<sup>4)</sup> Complures Christianitatis scriptorum locos mihi praebuit Joh. Stelzenberger, *Die Beziehungen der früh-christlichen Sittenlehre zur Ethik der Stoa*, eine moralgeschichtliche Studie, München, Max Hueber — Verlag, 1933, p. 262—265.

quispiam christianae religionis stoicaeque disciplinae suscipere comparationem, nedum certamen; quippe, ubi tam diversis ad veritatem pervenire student itineribus, altera humana ratione, voluntate divina Christi ore enuntiata altera, quomodo fieri posset, ut eiusmodi doctrinarum sectatores intellegerent inter se?

Attamen non de hac re imprimis agitur. Nempe vixdum expedit animadvertere misericordiam, a Stoicis damnatam, a Christianis rursus summis extolli laudibus, nec ex re videtur, utri meliorem sibi sumpserint partem, probare velle. Stoicorum de misericordia doctrinae qui est studiosus, eius ante cetera omnia interest, quid tandem illorum opinioni opposuerint christianae religionis defensores, nec non utrum aequi sint eorum scrupuli necne.

Inde sequitur, ut in medium non sim prolaturus locos, quales sunt *Mth.* 5. 7. <sup>1)</sup> et *Rom.* 1. 31. <sup>2)</sup> Incipiendum est a Lact. ad Pentad. 38, ubi legimus haec:

„Zeno, Stoicorum magister, qui virtutem laudat, misericordiam, quae summa est virtus, tamquam morbum animi amputandum iudicavit: quae et Deo cara est et hominibus necessaria. Quis est enim qui aliquo in malo constitutus nolit esse miserabilis ac non desideret auxilia succurrentium? Qui ad opem ferendam nonnisi misericordiae affectu excitantur. Hanc ille licet humanitatem, licet pietatem vocet, non rem, sed nomen immutat. Hic est affectus, qui soli homini datus est, ut imbecillitatem nostram mutuis adiumentis levaremus: quem qui tollit, ad vitam nos redigit beluarum. — Nam quod dicit paria esse peccata <sup>3)</sup>, ex eadem immanitate est, qua misericordiam veluti morbum insectatur. Qui enim nullam facit differentiam delictorum, aut levia magnis suppliciis afficienda censet, quod est crudelis iudicis, aut gravia parvis, quod est dissoluti. Utrumque rei publicae incommodum: si enim summa scelera leviter puniantur, audacia malis crescet ad facinora maiora, et si levibus delictis poena gravior irrogetur, multi cives, quoniam nemo esse sine delicto potest, in periculum venient, qui correpti possent esse meliores”.

<sup>1)</sup> „Μακάριοι οἱ ἐλεήμονες, ὅτι αὐτοὶ ἐλεηθήσονται.”

<sup>2)</sup> „Καὶ καθὼς οὐκ ἔδοκίμασαν τὸν θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει, παρέδωκεν αὐτοῖς ὁ θεὸς εἰς ἀδόκιμον νοῦν, ποιεῖν τὰ μὴ καθήκοντα, πεπληρωμένους πάσῃ ἀδικίᾳ, . . . , ἀστόργους, ἀνελεήμονας.”

<sup>3)</sup> *Diog. La.* VII. 120: „ἴσα τὰ ἀμαρτήματα.”

Ad eius iudicii partem priorem adnotare velim, quae sequuntur: „Stoici virtutem agnoscunt; misericordia autem summa est virtus; ergo misericordiam agnoscere debent Stoici.” Ita fere Lactantius — quamquam mente sine dubio integra, veritati tamen non omnia consentaneus. Stoici enim virtutem vocant naturae convenienter vivere: quicquid eius propositi assequendi ac summa consequendi obstaculum est, virtutis nomine dignum esse nequit. Obtrectare autem vitae naturae convenienti iis videntur affectus, ut qui animi motus irrationales sint habendi <sup>1)</sup>, quorum sit proprium excedere modum a natura datum. <sup>2)</sup> Atque inter affectus etiam misericordia numeratur, quae audire solet animi aegritudo ex alienis malis contracta, quae accidere immerentibus credit. <sup>3)</sup> Rursus Christiani virtutis loco ponunt eas animi qualitates, quibus inducitur homo, ut e Dei voluntate vivat; quam voluntatem a Christo enuntiata esse pro certo habent. Ac secundum ea, quae a Christo sunt enuntiata, Deus pro suo erga genus humanum amore miseritus est mortalium <sup>4)</sup>; id autem ab illis postulat ultro, ut ipsi inter se misereantur et misericordiam colant <sup>5)</sup>; proinde haec est causa, cur summam virtutem appellent misericordiam.

Misericordia, ut dicit Lactantius, „et Deo cara est et hominibus necessaria.” Primum apud Stoicos ius habere nullum potest: ducit enim ad honeste agendum eos non voluntas Dei a Christo enuntiata, verum ratio humana, quam rationis divinae partem esse illis persuasum est. <sup>6)</sup> Secundum — misericordiam hominibus esse necessariam — Christianorum sententia iam e primo enuntiato consequitur fortasse; enimvero et ipsum per se valere potest, dummodo argumentis exemplisque generalibus adstruatur atque illustretur. Quod nec detrectat Lactantius et vel ipsam tangit rem, ubi pergit: „Quis est enim, qui aliquo in malo constitutus nolit esse miserabilis ac non desideret auxilia succurrentium?” Revera plerique homines

<sup>1)</sup> Bonhöffer I, p. 262 sqq.

<sup>2)</sup> Cf. Sen. *De Ira* II. 3. 1: „Affectus est non ad oblatas rerum species moveri, sed permittere se illis et hunc fortuitum motum prosequi.”

<sup>3)</sup> Sen. *D. C.* II. 5. 3.

<sup>4)</sup> Cf. Ambrosius, *De Off.* I. 11. 38 (Migne, *Patrologiae cursus completus*, series graeca 16. 34).

<sup>5)</sup> Cf. S. Randlinger, *Die Feindesliebe nach dem natürlichen und positiven Sittengesetz*, Paderborn, Schöningh, 1906, p. 114.

<sup>6)</sup> Vid. Sen. *Ep.* 66. 12.



miserabiles esse nonnumquam volunt; sed ipsa Stoicorum doctrina praecipitur nobis, ut vitae adversa tranquilla inconcussaque perpetiamur mente neve umquam simus miseri. Miserabiles vero miseros quoque esse constat. Lactantius invicem, ubi misericordiam necessariam esse nobis perhibet, primam eius rei proponit causam, quod ipsi simili in malo constituti a ceteris exspectemus misericordiam. At Stoici illud ante omnia denegant sibi <sup>1)</sup>: eo enim spectat eorum disciplina, ut fiant sapientes, i. e. — quod ad propositam attinet causam — ut nulla iam animi conditione aegra afficiantur. <sup>2)</sup> Unde profectos neque ceterorum eos esse miseritos neque alieno in luctu fudisse lacrimas quis miretur? <sup>3)</sup>

„Attamen desiderabit, inquit, etiam sapiens interdum auxilia succurrentium; quorum auxilium misericordia nititur.“ Vera quidem haec sunt: talis auxilii principium esse misericordiae genus quoddam antea variis exemplis indicare studuimus. Sed tum praeterea apparuit hoc esse, quod plerumque in societate humana fiat, nec tamen plurimorum consuetudine singulorum eximiam excludi virtutem. Nempe Stoici ante oculos ponere sibi solent imaginem sapientis illius, qui tantopere profecit virtutis conditione perfecta, ut ea, quae stulti minusve prudentes nonnisi misericordia quadam commoti efficiant, omni aegritudine liber sponte sua aequae bene vel etiam melius perpetret. <sup>4)</sup> Quantulumcumque autem assecuti erunt ceteri mortales, praelecebit iis sapientis exemplum mansurum illiusque officii — affectus omnes exstirpandi — semper eos admoniturum. Id enim imprimis agitur, quem finem sibi proposuerint homines, — tum demum, quem habeant eventum. Itaque misericordiam etiamsi radicitus nondum evellerint forsitan, damnare sese Stoici profitebuntur semper.

„Hanc ille licet humanitatem, licet pietatem vocet, non rem, sed nomen immutat.“ Verissima quidem sunt illa ea conditione, ut concedendum sit vocabula „humanitatem“ ac „pietatem“ eo sensu a Stoicis adhiberi, quo significant animum ad humanitatis pietatisve *facta* paratum. <sup>5)</sup> Quarto autem capite satis demonstrasse mihi

<sup>1)</sup> Iniquum esset profecto hanc ob causam simulationem iis exprobrare.

<sup>2)</sup> Supra Cap. IV, A.

<sup>3)</sup> Supra Cap. IV, B.

<sup>4)</sup> Supra Cap. IV, E.

<sup>5)</sup> Supra Cap. IV, E.

videor auxiliarem eam misericordiae partem a Stoicis quoque permitti — dum affectus primordium continuo sequatur actio. Revera igitur tali casu pro humanitate ac pietate „misericordia” voce uti possent. Id nihilominus evitasse eos de industria quivis intellegit, qui quam vehementer philosophi illi in ipsum misericordiae affectum sint invecti, satis compererit. Haud dubium est sane: vitandi erroris causa, ne vulgus hominum pro admissa animi *actione* condemnatam animi *condicionem* acciperet, quam maxime poterant ex artis suae sermone expulerunt ambiguum illud vocabulum. — Contra igitur dicendum esset potius *et* nomen *et* rem immutasse Stoicos ita, uti pro aegritudine substituerint actionem, pro misericordiae nomine humanitatis vel pietatis nomen. Attamen hac re proposita concedamus Lactantio subesse nonnumquam misericordiam contentione summa stoice agentium mentibus — dummodo et ab eo exceptio fiat in sapiente!

Ubi vero ipse ad misericordiae christianae pergit facta, iniquitatis crimen vixdum effugere posse eum suspiceris, ut qui dicat: „Hic est affectus, qui soli homini datus est, ut imbecillitatem nostram mutuis adiumentis levaremus: quem qui tollit, ad vitam nos redigit beluarum.” Imbecillitatis enim suae etiam Stoici conscii sunt sibi,<sup>1)</sup> quamvis quid suis valeat viribus homo identidem profiteantur. Verum lamentationibus parum proficere nos arbitrantur, quamobrem ad constantiam fortitudinemque hortantur nos potius quondamque haec etiam postulant.<sup>2)</sup> Accedit, quod variae sunt opitulandi formae, aliae veluti molles ac blandae, graves ac quasi tristes aliae. Quod medici, quod iudicis officium ducant Stoici, vidimus. Adiutorium autem mutuum ab ipsis commendari praescribique satis apparuit ex iis, quae supra sunt allata<sup>3)</sup>. Atque stoica duce doctrina ad beluarum vitam nos redactum iri: hunc vel maximum errorem habendum esse arbitror. Quis enim tam acerbè quam illi tyrannorum improbavit mores? Quis tam vehementer incusavit crudelitatem? Audias Senecam exclamantem<sup>4)</sup>: „Quod istud, di boni, malum est occidere, saevire, delectari sono catenarum et civium capita decidere, quocumque ventum est, multum sanguinis

<sup>1)</sup> E. g. Sen. *Nat. Qu.* VII. 30—32.

<sup>2)</sup> Ut facit Seneca *Consolationibus*, praesertim ea, quae ad Marciam data est.

<sup>3)</sup> Cap. IV, E.

<sup>4)</sup> *D. C.* I. 26. 3. Cf. II. 4, et passim.

fundere, adspectu suo terrere ac fugare? Quae alia vita esset, si leones ursisque regnarent, si serpentibus in nos ac noxiosissimo cuique animali daretur potestas?" Alias profecto quaerenda erit vita illa beluarum nec inter Zenonis sectatores!

Quemadmodum Stoicorum de misericordia doctrinam imperfecto nobis modo explicavit Lactantius, ita clementiae quoque praecepta minus recte minusque iuste tractasse videtur. Etenim priorem disputationem subsequitur crimen, tamquam Stoici paria existimando peccata solitum societatis humanae everterint ordinem. Qui immo vero suam huic ordini tribuerunt partem, quoniam bona malaque non genere quidem, at gradu certe distinxerunt subtiliter. Est enim auctoribus Stoicis ab alteris in altera transitio quaedam ita, ut ipsum transeundi momentum deprehendere raro nobis contingat. Ubi autem inter peccata numerandum esse aliquid constat, eo, quod est peccatum, ceterorum peccatorum simile habetur: nam licet maiora minoraque exstent peccata graduque igitur inter se differre possint, id tamen illorum commune videtur omnium, quod peccatorum generi alicui utique sint attribuenda. Vel etiam, ut Senecae utar verbis, quibus crudelitatem misericordiamque comparat<sup>1)</sup>: „par error est a vero recedentium.”<sup>2)</sup>

Stoici denique, ut sensu supra significato inter varia peccatorum vitiorumque genera haud distinxerunt, ita perbene servaverunt discrimen, quotienscumque singula delicta penitus scrutati sunt. Nec verum est eos in magis noxios levius animadvertere voluisse inque minus noxios severius<sup>3)</sup>. Universa denique clementiae disciplina ex arte illa bene distinguendi singula delicta pendet.<sup>4)</sup>

1) *D. C.* II. 4. 4. Cf. adhuc P. Barth, *die Stoa*, Frommanns Klassiker d. Philos. XVI, Stuttgart, 1922, p. 113—123.

2) Adnotatur ab Ammendola, l. l. p. 95: „Uguale è l'errore, in quanto ci si allontana dal vero.”

3) Vid. Sen. *D. C.* I. 2; 6, 22, 23. E Christianis invicem sic iudicat Tertulianus, *De Pudic.* 1 (= Corp. Script. Eccl. Lat. 20, p. 220. 2): „Audio etiam edictum esse propositum et quidem peremptorium. Pontifex scilicet maximus, quod est episcopus episcoporum, edicit: „ego et moechiae et fornicationis delicta paenitentia functis dimitto.” O edictum, cui adscribi non poterit bonum factum! Et ubi proponetur liberalitas ista? Ibidem, opinor, in ipsis libidinum ianuis, sub ipsis libidinum titulis. Illic eiusmodi paenitentia promulganda est, ubi delinquentia ipsa versabitur. Illic legenda est venia, quo cum spe eius intrabitur,” e. q. s.

4) De hac re cf. Cap. III et V.

Opinionem supra allatae plura adicit Lactantius. *Inst. Div.* VI. 10, ubi de humanitate disputat: „Ad hanc partem philosophorum nulla praecepta sunt, quippe qui falsae virtutis specie capti misericordiam de homine sustulerunt; et dum volunt sanare vitia, auxerunt. Et cum iidem plerumque fateantur societatis humanae communionem esse retinendam, ab ea plane se ipsos inhumanae suae virtutis rigore dissociant.” Misericordiae reiectae hic opponitur ipsorum Stoicorum communionem humanam retinendi studium; quam repugnantiam satis validis sustulisse argumentis Senecam puto. <sup>1)</sup>

Pergit Lactantius ibidem c. 11: „Quaero igitur ab iis, qui flecti ac misereri non putant esse sapientis, si homo ab aliqua bestia comprehensus auxilium sibi armati hominis impleret, utrumne succurrendum putent an minime? Non sunt tam impudentes, ut negent fieri oportere, quod flagitat, quod exposcit humanitas. Item si aliquis circumveniat igni, ruina opprimatur, mergatur mari, flumine rapiatur, num putent hominis esse non auxiliari? Non sunt ipsi homines, si putent. Nemo enim potest eiusmodi periculis non esse subiectus. Immo vero et hominis et fortis viri esse dicent servare perituro. Si ergo in eiusmodi casibus, qui periculum vitae homini afferunt, succurrere humanitatis esse concedunt: quid causae est, cur, si homo esuriat, sitiatur, algeat, succurrendum esse non putent? Quae cum sint paria natura cum illis casibus fortuitis et unam eandemque humanitatem desiderent, tamen illa discernunt, quia non re ipsa vera, sed utilitate praesentia omnia metiuntur.” Stoicorum sententia, nisi fallor, plane constat et in fortuitis et in aliis casibus omnibus misericordiam, ut animi condicionem aegram virtutisque repugnantem, esse damnamam: itaque non discernitur inter misericordiae occasiones. Attamen praeceptum illud non impedit, quin auxilium ferant laboranti, haud ignorantibus eiusmodi periculis sese quoque expositos esse. Sed ab aliis, sicut a se ipsis, strenuam postulant mentem; nam „calamitatem esse virtutis occasionem” <sup>2)</sup> probe sciunt. Quamobrem humanitatem quidem colere, misericordiam vero neglegere solent. <sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> D. C. II. 5—6. Cf. supra Cap. IV, E.

<sup>2)</sup> Sen. *De Prov.* 4. 6.

<sup>3)</sup> Iniuria quoque, mea quidem sententia, Stoicis trium constantiarum doctrinam obicit Lactantius (*Inst. Div.* VI. 15): „Videamus nunc iidem illi,

Lactantius, ut videtur, misericordiae ac clementiae doctrinam stoicam pro christiana sua fide nec aequo semper modo tractavit. — Aliud de hac quaestione exstat testimonium apud Augustinum, *De Civ. Dei*, IX, 5, ubi legimus:

„Non est nunc necesse copiose ac diligenter ostendere, quid de istis passionibus doceat scriptura divina, qua christiana eruditio continetur. Deo quippe illam ipsam mentem subicit regendam et iuvandam, mentique passiones ita moderandas atque frenandas, ut in usum iustitiae <sup>1)</sup> convertantur. Denique in disciplina nostra non tam quaeritur, utrum pius animus irascatur, sed quare irascatur; nec utrum sit tristis, sed unde sit tristis; nec utrum timeat, sed quid timeat. Irasci enim peccanti, ut corrigatur, contristari pro afflicto ut liberetur, timere periclitanti ne pereat: nescio utrum quisquam sana consideratione reprehendat. Nam *et misericordiam Stoicorum est solere culpae*. Sed quanto *honestius* ille Stoicus misericordia perturbaretur hominis liberandi quam timore naufragii. Longe melius et humanius et piorum sensibus accommodatius Cicero in Caesaris laude locutus est, ubi ait: „Nulla de virtutibus tuis nec admirabilior nec gratior misericordia est.”” Augustinum movit propterea invisos fuisse Stoicis affectus, quod honestae vitae obstarent principiis; inde autem haudquaquam consequitur, ut Stoicis alter affectus altero sit honestior, nedum ut liberare hominem

---

qui vitia penitus excidunt, quid effecerint. Quattuor illos affectus, quos ex opinione bonorum malorumque nasci putant, quibus evulsis sanandum esse animum sapientis existimant, quoniam intellegunt et natura insitos esse et sine his nihil moveri, nihil agi posse, alia quaedam in eorum locum vicemque supponunt. Pro cupiditate substituunt voluntatem: quasi vero non multo sit praestabilius bonum cupere quam velle; item pro laetitia gaudium, pro metu cautionem. At in illo quarto immutandi nominis eos ratio defecit. Itaque aegritudinem penitus, id est maestitiam doloremque animi sustulerunt.” Ut taceam de cupiditate voluntati praeposita, Stoicis philosophis non erat in animo affectus semel expulsos clam reddere hominibus; quod si voluissent, etiam pro aegritudine sine dubio substituissent aliquid: nam maxime requirendum hoc fortasse abstulerant! At sustulerunt aegritudines, ut vitae calamitatibus fortiter resisteret homo; atqui hanc opinionem, etiamsi non admittimus, vereri saltem possumus. — Cf. Cic. *Tusc.* IV. 12—14.

<sup>1)</sup> Cf. Tertull. *De Pudic.* 2 (C. S. E. L. 20, p. 222. 21): „Etsi bonus natura Deus, tamen et iustus. Ex causa enim, sicut sanare novit, ita et caedere, faciens pacem, sed et condens mala, paenitentiam malens, sed et Hieremiae mandans, ne pro populo peccatore deprecaretur.” Item Novatianus (quem misericordiae hostem dicit Cypr. *Ep.* 60. 3) reiecit veniam, ut adnotat Stelzenberger l.l. p. 264.

*non* esset honestum. Hac igitur in re Augustinum, sicut Lactantium, fefellit Chrysippi sectatores inter misericordiam eiusque facta discrimen servavisse diligenter. Quodsi bona facta etiam sublata aegritudine animi fieri possunt, rogare non iam expedit, unde simus tristes, cum tristes esse omnino desierimus.

Addit Augustinus: „Quid est autem misericordia nisi *alienae miseriae quaedam in nostro corde compassio*, qua utique, si possimus, subvenire compellimur? *Servit autem motus iste rationi*, quando ita praebetur misericordia, ut iustitia conservetur, sive cum indigenti tribuitur, sive cum ignoscitur paenitenti. Hanc Cicero, locutor egregius, non dubitavit appellare virtutem, quam Stoicos inter vitia numerare non pudet; qui tamen, ut docuit liber Epicteti, nobilissimi Stoici ex decretis Zenonis et Chrysippi, qui huius sectae primas partes habuerunt, huiuscemodi passiones in animum sapientis admittunt, quem vitiis omnibus liberum esse volunt. Unde fit consequens, ut haec ipsa non putent vitia, quando sapienti sic accidunt, *ut contra virtutem mentis rationemque nihil possint*, et una sit eademque sententia Peripateticorum vel etiam Platonicorum et ipsorum Stoicorum.” — Adnotare pauca de tali enuntiato necesse erit. Ciceronis atque Epicteti auxilium ab Augustino crebro invocatum haud ita multum movet eum, qui veram illorum cognoverit sententiam. Orationibus enim nonnumquam laudavit misericordiam „locutor ille egregius”, in philosophicis autem operibus manifestis verbis repudiavit ita, ut Stoicum esse integrum eum putaveris.<sup>1)</sup> Diuidicare, utra opinio Ciceronis fuerit propria, lectori permittere velim. Quod tamen ad Epictetum attinet: praetermissis permultis aliis locis quasi forte incidit Augustinus in Ench. 16<sup>2)</sup>; huic iudicio inter cetera suum tribuit locum Bonhöffer.<sup>3)</sup> — Accedit, quod

1) Vid. supra, Cap. II. C.

2) „Μέχρι μέντοι λόγου μη ὅκνει συμπεριφέρεισθαι αὐτῶ, κἀν οὕτω τύχη, καὶ συνεπιστενάξειαι.” At sequitur: „πρόσεχε μέντοι μη καὶ ἔσωθεν στενάξειης.”

3) *Epictet u. d. Stoa*, p. 306: „Wenn er an letztgenannter Stelle den Ausdruck des Mittgeföhls durch freundschaftliches Eingehen auf die Lage des Nächsten, ja sogar je nachdem durch Mitseufzen gestattet, so möchte ich hierin keine eigentliche Inkonsequenz erblicken, wie Zeller tut (III, 1. 750). Er fügt ja ausdrücklich hinzu, daß dieses Eingehen auf die Lage und Stimmung des Freundes innerhalb der Grenzen des λόγος geschehen könne und daß es in keinem Fall zu einem innerlichen Seufzen, d. h. zu einer Störung der εὐροια und εὐστάθεια, zu einem πάθος werden dürfe.” Vid. etiam p. 305: „Die wahre Meinung Epictets ersieht man aus I. 28. 9 und IV. 6. 2.”

admittere in animum affectus adeo, ut contra virtutem mentis rationemque nihil possint, idem est ac non admittere omnino.

Dicit porro Augustinus misericordia nos ad iuvandum compelli. De factis igitur agi denuo videmus; quibus haud ita multum differe inter se Christianos Stoicosque iam antea indicavimus. Qui vero facta antecedant motus, eos rationi servire propterea negant Stoici, quod eorum sententia motus animi omnes, simulac eruperunt, regi a ratione nequeunt.<sup>1)</sup> Itaque motu excludi ponunt iustitiam, quae quidem salvo motu possit exsistere raro, nec tamen auxiliante motu.<sup>2)</sup> En causa, cur misericordiam extirpare potius quam partim tolerare voluerint Stoici; cuius defendendae opinionis plura quam Augustinus attulisse mihi videntur argumenta. At quomodo pergat Augustinus, audiamus:

„Sed, ut ait Tullius,<sup>3)</sup> verbi controversia iam diu torquet homines Graeculos, contentionis cupidiores quam veritatis. Sed adhuc merito quaeri potest, *utrum ad vitae praesentis pertineat infirmitatem*, etiam in quibusque bonis officiis huiusmodi perpeti affectus. Sancti vero Angeli cum et sine ira puniant, quos accipiunt aeterna Dei lege puniendos, et *miseris sine miseriae compassione subveniant*, et periclitantibus eis, quos diligunt, sine timore opitulentur: tamen istarum nomina passionum consuetudine locutionis humanae etiam in eos usurpantur, propter quandam operum similitudinem, non propter affectionum infirmitatem: sicut ipse Deus secundum scripturas irascitur, nec tamen ulla passione turbatur. Hoc enim verbum *vindictae* usurpavit *effectus*, non *illius turbulentus affectus*.”

Augustinus, postquam nimio assimilandi studio discrimen — quod in hac quoque quaestione inter Stoicos et Peripateticos Academicosque exstare nemo dubitarit — tollere conatus est, nunc Ciceronem socium sibi sumit, qui declaret philosophos graecos contentionis vel disputandi cupidiores fuisse quam veritatis. Hoc maxime iniquum duco: quid „Graeculorum” philosophiae — morali praesertim parti — debeant Christiani, hoc loco memorare super-

<sup>1)</sup> Cf. Sen. *De Ira* I. 10; II, 4. — *Ep.* 85. 3—17. Praesertim *Ad Marc.* 17. 1: „Scio rem non esse in nostra potestate nec ullum affectum servire, minime vero eum, qui ex dolore nascitur”; e. q. s.

<sup>2)</sup> Vid. Sen. *Ep.* 85. 6; „Si das aliquos affectus sapienti, impar illis erit ratio” et 8: „Si ratio proficit, ne incipient quidem affectus.”

<sup>3)</sup> *De Or.* I.

sedeo; verum nulla est causa, cur suspicemur veritatem, vel — quantum pertinet ad quaestionem a nobis tractatam — praecepta et officia moralia ab illis non labore summo esse investigata. Nam quod veritatis finem minus celeriter quam Christiani nonnulli assecuti esse sibi videntur, hoc iis obiectare utique vereor.

Ac tamen non infra dignitatem putat suam auctor christianus quaerere, utrum ad vitae praesentis infirmitatem pertineat etiam in bonis officiis omnibus perpeti affectus. Infirmitas autem nonnisi in homine inveniri solet. Quid tandem, cum de sanctis quoque Angelis adhibeantur affectuum nomina, infirmitatis humanae scilicet indicia! Quin etiam ipse Deus irasci dicitur interdum. — Verumtamen, si credimus Augustino, ad talia usurpanda vocabula pellicere nos solet sermo cotidianus, qui consuetudine loquendi humanae vitae notiones in Angelos atque in ipsum Deum transferat.

Mihi vero reputanti mecum propositae difficultates quaestionis inter disputandi scopulos hic imminet incertissimus: quomodo fieri potest, ut sancti Angeli, cum „sine miseriae compassione subveniant miseris”, secundum fidei principia agant christianae? „Misericordia” enim, quae sine miseriae compassione fiat, non tantum in hominibus, sed neque in sanctis Angelis vocari posset misericordia: ne *vocari* quidem, dico; nam *esse* misericordiam talem animi condicionem nemo profitebitur, quandoquidem id ante omnia misericordiae semper fuit proprium, quod „sine animi miseria non fit.”<sup>1)</sup> Sin rursus miseris sine compassione subveniant illi, quid tandem — quod quidem ad hanc naturae suae attinet partem — differunt a sapiente stoico, cui easdem ob causas inimica est misericordia?

Utrumque se habet res, hoc certe constat: sine passionibus pati ne Angeli quidem possunt; aut enim miserentur proprio sensu aut sine misericordia adiuvant laborantes. Illud Augustini sententia non faciunt; ergo hoc facere eos necessarium est. Qua in re Angelorum sequi exemplum Christianis non licet. — Praeterea statuendum videtur homines, quotiens misericordia commoveantur, infirmitati cedere suae, quia ipse asseveret Augustinus merito quaeri posse, utrum ad vitae praesentis pertineant infirmitatem misereri eiusque affectus similia. Haec omnia fortasse non tam radicitus, quam visum est Christianis, a Stoicorum doctrina abhorrent. Quin etiam

<sup>1)</sup> Sen. D. C. II. 6. 1.



et Augustini loco supra allato e verborum controversia quadam nimis diversa forsitan nata sint iudicia; quod quare adduceret nos, ut vera inter Christianos Stoicosque tollere studeamus discrimina?

Ceterum priorum omnium ratione habita mirum non videtur ab Augustino quoque perturbationibus facta praeferrī. Quippe de Dei ira disserens hoc modo concludit: „Hoc enim verbum vindictae usurpavit effectus, non illius turbulentus affectus.” Huius loci significatio vel ea est: cum de ira Dei loquitur scriptura divina, verbum irascendi non ad significandum affectum sive cupidinem vindicandi adhibetur, sed ad indicandum effectum sive actionem vindicandi. <sup>1)</sup> Praestat omnino factum bonum, recedit animi condicio apud Stoicos nec non apud Christianos. Complures Novi Testamenti libri id ipsum probant; quorum describantur nonnulli:

*Mth.* 18. 32—33: „δοῦλε πόνηρε, πᾶσαν τὴν ὀφειλὴν ἐκείνην ἀφῆμά σοι, ἐπεὶ παρεκάλεσάς με· οὐκ ἔδει καὶ σε ἐλεῆσαι τὸν σύνδουλόν σου, ὡς καὶ γὼ σὲ ἠλέησα;”

*Hebr.* 2. 17: „ὅθεν ὤφειλεν κατὰ πάντα τοῖς ἀδελφοῖς ὁμοιωθῆναι, ἵνα ἐλεήμων γένηται καὶ πιστὸς ἀρχιερεὺς τὰ πρὸς τὸν θεόν, εἰς τὸ ἰλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας τοῦ λαοῦ.” <sup>2)</sup>

Plurimum autem vel ex eo deducere licet, quod ἐλεημοσύνη pro stipe adhibetur *Mth.* 6. 3—4: „Σοῦ δὲ ποιούντος ἐλεημοσύνην μὴ γνῶτω ἡ ἀριστερά σου τί ποιεῖ ἡ δεξιὰ σου, ὅπως ἦ σου ἡ ἐλεημοσύνη ἐν τῷ κρυπτῷ.”

Hodiernos quoque illa misericordiae facies tetigit, ut legimus apud A. Harnack <sup>3)</sup>: „Jesus löste mit scharfem Schnitte die Verbindung der Ethik mit dem äusseren Kultus und den technisch-religiösen Übungen. Er wollte von dem tendenziösen und eigensüchtigen Betriebe „guter Werke” in Verflechtung mit dem gottesdienstlichen Ritual schlechterdings nichts mehr wissen. Entrüsteten Spott hat er für diejenigen, die den Nächsten, ja ihre Eltern darben lassen, aber dafür an den Tempel Geschenke schicken. Hier kennt er keinen Kompromisz. *Die Liebe, die Barmherzigkeit hat ihren Zweck in sich*; sie wird entwertet und geschändet, wenn sie etwas

<sup>1)</sup> Haud aliter clementia actuosa ac certos in casus translata misericordiae species est appellata supra p. 103.

<sup>2)</sup> Cf. etiam *Rom* 12. 8. „ὁ ἐλεῶν <τὸ χάρισμα ἔχει> ἐν ἰλαρότητι.”

<sup>3)</sup> *Das Wesen des Christentums*, 4. Aufl. Leipzig, 1901, p. 45/46.

anderes als *Dienst am Nächsten* sein soll." Item fere iudicat Joh. Müller <sup>1)</sup>: „Das tatkräftige Erbarmen ist eine innerlich notwendige Auswirkung des Hungers nach Wahrheit des Lebens. Beides gehört so zusammen wie das Bewusstsein absoluter Bedürftigkeit und das Tragen des allgemeinen Leidens. Die innere Spannung ist hier nur ausgelöst in persönliche Bewegung. So wenig, wie es sich bei dem Hungern nach Wahrheit um ein ohnmächtiges Gefühl der Leere, sondern um Wehen der Sehnsucht in ungestümem Vorwärtsdrängen handelt, so wenig hier um blosses Mitgefühl, sondern um persönliche Hilfe. Jesus sagt nicht: Selig sind die Mitleidigen. Denn was nicht zur Tat wird, hat keinen Wert. Was bloss in Stimmungen ausschwingt, bleibt unfruchtbar und spannt nur ab. Wer wahrhaft sucht, kann keine Not ersehen, ohne zu helfen, soweit es ihm möglich ist, wirklich zu helfen."

Per bonum succurrendi periclitantibus exemplum nobis praebet *Luc. X. 25—38*, ubi litterarum sanctarum interpreti, quis sibi sit proximus, interroganti narrat Iesus Samaritae misericordis parabolam; qui quidem non solum „ἐσπλαγχνίσθη", verum etiam „προσελθὼν κατέδησεν τὰ τραύματα αὐτοῦ ἐπιπέτων ἔλαιον καὶ οἶνον, ἐπιβιβάσας δὲ αὐτὸν ἐπὶ τὸ ἴδιον κτήνος ἤγαγεν αὐτὸν εἰς πανδοχεῖον καὶ ἐπεμελήθη αὐτοῦ· καὶ ἐπὶ τὴν αὔριον ἐκβαλὼν δύο δηνάρια ἔδωκεν τῷ πανδοχεῖ καὶ εἶπεν· ἐπιμελήθητι αὐτοῦ, καὶ ὅτι ἂν προσδαπανήσης ἐγὼ ἐν τῷ ἐπανέρχεσθαι με ἀποδώσω σοι."

Deinde Iesui roganti trium eorum hominum periclitanti quis fuerit proximus, respondet ille: „ὁ ποιήσας τὸ ἔλεος μετ' αὐτοῦ."

Necessarium non est huic parabolae praescribere, <sup>2)</sup> quae legimus apud Senecam, *Ep. 95. 52*: „Natura nos cognatos edidit, cum ex isdem et in eadem gigneret. Haec nobis amorem indidit mutuum et sociabiles fecit. Illa aequum iustumque composuit; ex illius constitutione miserius est nocere quam laedi: ex illius imperio paratae sint iuvandis manus." Ea etsi religionis christianae testimoniorum similia sunt, e diverso tamen fonte manant. At nonne diversis e fontibus provenire potest aqua limpida dulcisque?

Stoici recusant misericordiam, colunt Christiani. Hac re discre-

<sup>1)</sup> *Die Bergpredigt*, Beck, München, 1920, p. 52 et 53.

<sup>2)</sup> Cf. G. A. van den Bergh van Eysinga, *De Wereld van het Nieuwe Testament*, 1929, p. 210/211. Contra: H. Wagenvoort, *Pax Augusta*, Wolters, Groningen—den Haag, 1930, p. 23.<sup>74</sup>).

pantiam exstare inter eos nemo negabit. Ea autem bona facta, quae misericordiae nasci genere quodam verisimillimum est, cum Stoici tum Christiani peragere consueverunt: quique plurimum proferant ac etiam levissimam misericordiae affectationem amiserint, pro perfecta illi animi condicione haec quoque praestabunt facta. Atque illa facta sane non sunt alteriusutrius sectae propria. Adiutorium enim mutuum auxiliumque laborantibus latum vigent, ubicumque versantur homines vere humani.

„Quid tandem ad Senecam?“ rogabitur. Miseriam animi condemnavit, ad Stoicorum sectam accessit. Quare id fecit? Nonne hanc ob causam, quod adversus fortunae vicissitudines quaerebat propugnaculum? quod et ipse ceteris omnibus exhaustis philosophiae fontibus unam hanc philosophiam Gaii Claudiique atque ipsius Neronis temporibus ducebat refugium? Nam refugium re vera vocare licet eam philosophandi rationem, quae plus excludere quam includere magisque a vita abstinere quam interesse ei videtur. Equidem aliter facere vix poterat. Sed causam ipse dicat suam: 1)

„Necessaria ista est doloris refrenatio, utique hoc sortitis vitae genus et ad regiam adhibitis mensam: sic estur apud illos, sic bibitur, sic respondetur; funeribus suis adridendum est. An tanti sit vita videbimus: alia ista quaestio est; non consolabimur tam triste ergastulum, non adhortabimur ferre imperia carnificum; ostendemus in omni servitute apertam libertatis viam, nisi aeger animus est. Suo vitio miser est, cui miserias finire secum licet.“ Hoc atrox certe iudicium est, quod tamen satis bene rerum explicat statum: resiste, quantum potes; si minus, ipse tibi ad libertatem ultimam pares viam. Nihilominus, dum aliqua ex parte tolerabilis videtur vita, perpetienda sunt adversa. 2)

Itaque nescio an Seneca, cum vitae incommoda expertus esset, optionem sibi dederit ipse: vincendi aut pereundi. Illud sumpsit summisque egit viribus, ut perpetraret. Atque hac in contentione praesidium e logicae principiis comparare sibi studuit: omnes patiuntur homines; pati ergo eos necesse videtur. Accipiamus igitur cala-

1) *De Ira* III. 15. 3. (iis, qui potentibus serviunt, ingenti adversus crudelitatem patientia opus est).

2) Vid. Walter Ribbeck, *L. Annaeus Seneca der Philosoph und sein Verhältnis zu Epicur, Plato und dem Christentum*, Hannover, 1887, p. 79—85.

mitates: fortiores nos reddent, si fortes nos praebuerimus ultro. Vitae duritiam et acerbitatem sustinendo superare conemur.

Cuius consilii postquam plane sibi conscius fuit, in alios quoque transtulit, quod sibi placuerat, quo ad eandem vincendi rationem eos adhortaretur. Sicut autem virtutis occasionem ducebat ipse calamitatem misericordiamque alienam ad se non iam admittebat, eodem modo ceterorum misereri desinebat. Quod in viro multifariam perpeso ignominiam melius fortasse intellegere possumus. Iracundiam dedit, misericordiam quoque proiecit. Quippe cogitatio eius fuerit talis <sup>1)</sup>: „Atqui, si irasci sapiens turpiter factis debet, et concitari contristarique ob scelera, nihil est aerumnosius sapiente: omnis illi per iracundiam maeroremque vita transibit. Quod enim momentum erit, quo non improbanda videat?”

Philosophia stoica non aureo nata est saeculo; parentes ei non fuerunt abundantia nimia et fiducia bona, sed potius dubitatio universa et desperatio. Admirationem moverit certe iam aliquid spei servasse illam proque amissa misericordia non severitatem adduxisse meram. Nam <sup>2)</sup>: „Sapiens multa remittet, multos parum sani, sed sanabilis ingenii servabit.” Universi generis humani amorem numquam impetravit Stoicorum secta, nec impetrabit umquam. Paucorum non dico amorem, sed fidem experta est. Christianam religionem multi amplexi sunt — ac tamen pauci fortasse.

Non iudicamus, ne simus iniqui. Iure quodam Augustinus <sup>3)</sup> ita censet: „Stoici cum misericordiam quasi vitium devitant, quia officio satis moveri nequeunt, si nec perturbatione commoventur, congelascunt potius frigore inhumanitatis quam rationis tranquillitate serenantur.” Ac respondemus rogantes: „Potestne fieri, ut oppositum immineat periculum Christianis?”

<sup>1)</sup> *De Ira* II. 7. 1.

<sup>2)</sup> *De Clem.* II. 7. 4.

<sup>3)</sup> *De moribus Eccl. Cathol.* 27.



## THESES.

### I.

Repugnantiam, quam statuit E. Norden *ad Aen.* VI. 153, non omnino sustulit K. Kerényi, *Hermes* 66 (1931), p. 413—420.

### II.

Hor. Ep. I. 10. 13 legendum censeo ita: „ponendaeque *domus* quaerenda est area primum”.

### III.

Sen. De Clem. I. 3. 1 pro: „manumissionis” legendum est: „manus mitioris”.

### IV.

Sen. Ep. 83. 25 delenda sunt verba: „nec minor vino Cleopatrae amor”.

### V.

Vocabulum „domus” cur sit feminini generis, manifestum est. Cf. A. Ernout, *Domus, fores et leurs substitués*, *Rev. de Philol.* 1932, p. 297—315.

### VI.

In tegenstelling tot W. Leaf moet aangenomen worden, dat de overgeleverde lezing Hom. II. I, 513/514: „ἀλλ', Ἀχιλεῦ, πόρε καὶ σὺ Διὸς κόρησιν ἐπεσθαι τιμὴν, ἢ τ' ἄλλων περ ἐπιγνάμπτει νόον ἐσθλῶν” beteekent: „Maar, Achilles, maak jij het ook mogelijk, dát met Zeus' dochteren samengaat een schadevergoeding, die toch ook van andere edelen de gezindheid wijzigt”.

## VII.

Hetgeen door Ad. Busse, *Hermes*, 1931, p. 126 en 367 wordt gezegd aangaande Plato, *Gorg.* 484 B, is onjuist.

## VIII.

Eur. *Androm.* 480: in plaats van κατά πηδαλίων moet gelezen worden κακά πηδαλίω.

## IX.

Bacchyl. Od. III. 26 is met Sandys te lezen: Ζηνός τελειοῦσαι τίσιν.

## X.

Thuc. III. 38. 6: ἀνταγωνιζόμενοι τοῖς τοιαῦτα λέγουσι μὴ ὕστεροι ἀκολουθῆσαι δοκεῖν τῇ γνώμῃ. In plaats van τοῖς τοιαῦτα λέγουσι leze men τοῖς τὰ αὐτὰ λέγουσι.

## XI.

Ten onrechte schrijft Beloch III<sup>1</sup>. 645 de mislukking van het werk van Aratus toe aan het feit, dat deze geen goed veldheer was.

## XII.

Voor de invloed van grieksche ethiek op romeinsch imperialisme zijn Liv. 23. 13. 11 en Tac. Ann. 13. 56 — in tegenstelling met de meening van W. Capelle, *Gr. Ethik und Röm. Imperialismus*, *Klio* 25 (1932), p. 86—114, vooral p. 97 — geen bewijsplaatsen.

## XIII.

Een principiëel verschil tusschen sympathie en idiopathie is theoretisch niet vol te houden.

## XIV.

Het is voor het behoud der klassieke opleiding van het hoogste belang, dat het lyceum als zelfstandig schooltype in de wet erkend wordt en een eigen eindexamen krijgt, gelijkwaardig, doch niet gelijk aan dat van het gymnasium.









D  
U  
19